

N'ayant pu nous procurer une version '.PDF' de ce texte, n'ayant pu le trouver, en ligne, dans aucune des grandes bibliothèques Européennes, nous avons dû avoir recours à un site qui en propose une version numérisée empruntée à un site Italien. Le texte, qui conserve les graphies anciennes, contient un grand nombre d'erreurs de lecture et de lacunes. Nous avons modernisé et unifié les graphies, et nous avons, dans la mesure du possible, corrigé les erreurs et proposé, pour les lacunes, une restitution.

## LIBER PRIMUS.

## AD ILLUSTREM SIGISMUNDUM GONZIACHUM.

E1\_1 v.1 Hos tibi non lusus, non haec tibi scripta dicavi,  
 2 oblita vix sacris Bellerophontis aquis,  
 3 ut Phaetontaeo ferrem super aethera curru  
 4 sidera qui proprio clarus honore petis  
 5 (nam tibi qui laudes, clarae qui nomina famae  
 6 vult dare, Phoebis vult dare lumen equis :  
 7 nil dat, qui non dat deceant quae munera, voce  
 8 quique probat parva maxima gesta, tacet)  
 9 sed ne livor edax morsu non lecta canino  
 10 Vulcani flammis dilaceranda daret.  
 11 Gonziaci cum turba Numae venerabile nomen  
 12 et sanctum prima sedula fronte leget  
 13 numine plena tuo totum leget anxia librum  
 14 magna putans magnum quae fovet auspiciam.  
 15 Auspice te vivent vel carmina nostra, legentur  
 16 vel saltem : egregium munus utrumque tuum est.

## EIDEM DOMINO DEOQUE NOSTRO.

E1\_2 v.1 Magnanimo qui dat regi vel rura vel aurum,  
 2 argentum, mensas, coccina, vasa, domos,  
 3 dat cupidi Curio Crassi parvoque potenti  
 4 munera Fabricio perniciose Midae.  
 5 Non aurum cupiunt, pulchrae sed laudis honores  
 6 et decus et clari nomina clara duces.  
 7 Carmina qui regi regum fert munera : vitam  
 8 carmine post vitae tempora Caesar habet,  
 9 carmine defunctus jam pridem vivit Achilles,

10           semper et Alcides carmine vivus erit.  
 11       Forte dices : carmen tuum non vivet. At illud  
 12           viveret ut feci : sit voluisse satis.

EIDEM.

E1\_3    v.1     Flagitat auspicio vestri qui vivere regis  
           2           lucida Gonziaco castraque sole sequi,  
           3       Mars dedit huic telum, Geticis quo fulminat arvis  
           4           et quo centimani perculit ora Gygis.  
           5       Aegida Gorgoneum Pallas, Bellona flagellum,  
           6           et quodcumque suo pectore robur habet :  
           7       cum madidis oleo certat labente palaestris  
           8           dejicit Herculea quemlibet iste manu,  
           9       per vacuas ferrum tormento fortius auras  
 10           torquet et invicta grandia saxa manu.  
 11       Agmina cum miscet bellum letale, furentes  
 12           intrepidus turmas agmen et omne trahit,  
 13       ascendit muros rabies cum saevit in urbes  
 14           bellica, nec flammam duraque tela timet.  
 15       Uno sit quantus tandem tibi carmine dicam :  
 16           nomen Alexandri numen et iste gerit.

EIDEM.

E1\_4    v.1     Per juga currentem dominum lacerare cruentis  
           2           dentibus horrendi qui potuere canes  
           3       non me Cadmeis genuerunt rupibus acri  
           4           semine, nec juvenem qui rapuere Thrasum  
           5       quique Linum (clarum), nec qua fert Caucasus arces  
           6           me tulit indomito juncta Licisca lupo :  
           7       sed Canis Erigones Cephali sed dente minaces  
           8           dente neco celeres et celer ipse feras.  
           9       Venator nemorum noscit me quisque Catulli :  
 10           sum placidus dominis, sum truculentus apris  
 11       nec peto pro meritis Phoebus me jungere, solis  
 12           sat sub Gonziaci lumine clarus ero.

EIDEM.

E1\_5    v.1     Albo candidior canis ligustro  
           2           argento nive lilio colostro  
           3       ad te ducitur iste, qui molossis  
           4           et si non genitus fuit sub antris  
           5       celsis rupibus aut quibus Typhoeus  
           6           pressus nimbisona fuit sagitta,  
           7       ut dicunt merito sacri poetae,  
           8       Phruxi qua tumidum fluit vel aequor  
           9       aut Spartaе salebris libidinosae,  
 10       laudandus magis ac magis probandus  
 11       cunctis est canibus tamen. Fugaces  
 12       nam cervos agitans hirundininos  
 13       (quis credet ?) superat fuga volatus  
 14       et Gortyniacas levis sagittas  
 15       et tigrim catulos suos petentem

16 quos fert raptor equo celer volanti.  
 17 Non roris lacrimas quatit nitentes,  
 18 non herbas pedibus movet tenellas,  
 19 ursos dilacerat feros luposque.  
 20 Saevus non Calydonis arva quondam  
 21 vastasset stimulis aper Dianae  
 22 hoc viso cane : cerne quantus astat  
 23 lato pectore, cruribus rotundis,  
 24 plenis faucibus, igneis ocellis,  
 25 celso tergore, ventre non tumentis,  
 26 longis dentibus et micante lingua,  
 27 rectis auribus et rigente cauda.  
 28 Quem si tu capies velut serena  
 29 regem fronte decet, videbis illum  
 30 tigres sternere, sternere et leones.  
 31 Sub vi magnanimi ducis vel ille  
 32 cladem magnanimus petet ferarum.

## EIDEM.

E1\_6 v.1 Quis negat imprudens magnos tibi caedere reges  
 2 quos tulit Ausonii nobilis aula Remi  
 3 quosque Therapnaeis Sparte generavit in arvis,  
 4 quosque Mycenaevi regna superba soli,  
 5 fallitur et claros cum fert Venus aurea menses  
 6 aspicit ardentis non Phaetontis equos.  
 7 Divitiis Crassi fulvo sic uteris auro  
 8 ut te Fabricium quilibet esse putet.  
 9 Pascis, alis, donas, das, consulis, erigis, auges,  
 10 excipis, extollis, auxiliaris, amas.  
 11 Ore decens Cadmi quaterent cum moenia reges  
 12 qualis erat picto Parthenopaeus equo :  
 13 vivis ut Hippolitus, Martis praestantibus armis  
 14 cum ferus et valeas bella cruenta sequi.  
 15 Vestales sequeris flammam et sacra Dianae,  
 16 sint magis ut fratris nomina clara tui.  
 17 Hic est verus amor : gemini sileantur Atridae  
 18 Gnosiacae tangunt qui quoque signa ferae.  
 19 Sic vincis reges, major sic Caesare Caesar  
 20 es, Numa sic sancto sanctior atque Numa.  
 21 Namque Numa fieri patitur qui Caesar habetur  
 22 Caesare nobilior nobiliorque Numa.

## BASSANO.

E1\_7 v.1 Si, Bassane, potes bimaribus super alta Corinthi  
 2 saxa volans celeri cum petis ire pede  
 3 et juga caeruleis ad quae crinita colubris  
 4 fecundo genitrix sanguine missit equum.  
 5 Noscere tergemini Jovis et tria numina summis  
 6 cur nitet Artophylax et Cynosura polis,  
 7 si radio celsi spatium metiris Olympi,  
 8 si numeri legem ponderis atque tenes  
 9 fortunaeque notas varii discrimina cursus  
 10 aspiciens oculos aspiciensque manus  
 11 sub speculo ventura vides, sub nube, sub aere,

12 et Phlegetontaea de Styge monstra trahis,  
 13 aut tibi se totum pulcher concessit Apollo  
 14 aut haec quod magnum est alter Apollo facis.

## AD THAIDA.

E1\_8 v.1 Cum venit ad nostros Thais formosa penates,  
 2 Phoebeis clara est tota domus radiis.  
 3 Cum linquit nostros Thais formosa penates  
 4 nocturnis fusca est tota domus tenebris.

## EIDEM.

E1\_9 v.1 Thaida cum video formosam frigida sum nix,  
 2 cum procul est totum me tenet ignis edax :  
 3 res mira est, igni vicinus frigore cogor,  
 4 cum procul est ignis, totus ab igne premor.

## IN LIGISTUM.

E1\_10 v.1 Inter si veros tibi quis numeretur amicos,  
 2 scire cupis monitis crede, Ligiste, meis.  
 3 Non illum poscas clarae quod laudis honores  
 4 det tibi quod famae cedat ubique tuae :  
 5 quilibet hoc faceret, clarae nunc gloria laudis  
 6 nil valet, est clari nullus honoris honor.  
 7 Non quod te spernant fratres spernantque parentes :  
 8 non fratrem nostro tempore frater amat,  
 9 non natus patrem. Non quod tibi foedera lecti  
 10 praebeat : uxoris gratia nulla viro est.  
 11 Sed dic de plena sextantem tradat ut arca  
 12 unam de multis vestibus atque togam.  
 13 Haec tibi qui dederit verum laudabis amicum,  
 14 nil nisi divitias nunc quia mundus amat.

## DEFLET CATELLAM.

E1\_11 v.1 Hoc sub marmore candido, viator,  
 2 pictum nobile Syrii refulget  
 3 quo sidus nitidi jacet catella.  
 4 Cur stet sub tumulo petis superbo  
 5 quem vix magnanimi duces merentur  
 6 quos claros patriae facit triumphus ?  
 7 Hoc virtus jubet, hoc jubent beati  
 8 mores : nam fuerat benigna, mitis,  
 9 clemens, candida, delicata, rectis  
 10 (quis credet ?) pedibus gradum movebat,  
 11 saltabat modulos lyrae sonantis  
 12 ad dulces modulis lyrae canebat :  
 13 servabat domino dapes paratas,  
 14 affectus animi premens maligno.  
 15 Non norat Veneris scelus petulcum  
 16 congressus fugiens libidinosos.  
 17 Simplex, casta, pudica, munda, virgo,

18 latrabat pia, dulciter querelas  
 19 tollebat lacrimas pias, et ora  
 20 reddebat facili serena risu.  
 21 Argentum, violas, ebur, ligustra  
 22 vincebat niveo colore ; murem  
 23 hanc ut quilibet Alpium putaret.  
 24 Per thermas, fora, porticus, theatra,  
 25 silvas, jugera montiumque semper  
 26 tendebat salebrosa saxa mecum,  
 27 mecum pectore saucio dolebat,  
 28 mecum flebat amara, mecum amabat,  
 29 gaudebat petulans jocansque mecum.  
 30 Mecum denique stabat et sedebat,  
 31 carpebat placidam toro quietem.  
 32 Quo fulvo tumulum meretur auro  
 33 ne dum marmore traditur superbi  
 34 si clarus meritis honor sepulcri.

CARPIT SIMULATOS AMICOS

E1\_12 v.1 Cum mea Mygdonio fulgebant marmore tecta,  
 2 munera cum Cereris jugera culta dabant,  
 3 Caecuba Campano fundebat nectare cella,  
 4 Pallados undabat totaque rore domus,  
 5 Indus Erythraea gemmas mittebat ab alga,  
 6 mittebant teneros Lesbia regna mares  
 7 et myrrhae lacrimas et olebam semper amomum,  
 8 semper et aurato murice cinctus eram,  
 9 quisque meus fieri civis cupiebat amicus,  
 10 ad mea tendebat limina turba frequens.  
 11 Laudabar solus, solus celebrabar, amabar,  
 12 egregio solus nomine dignus eram.  
 13 At quia mensa brevis nunc est mihi, curta supellex  
 14 innumeri scindunt nec mea rura Syri,  
 15 me fugiunt omnes ; amisso sordidus auro  
 16 pellitur amissa pauper amicitia.

RIDET LIGYSTI INCANTAMENTA.

E1\_13 v.1 Audite, o socii, Ligystus ille  
 2 qui mores celebrat Catonianos,  
 3 et cui candida veritas in ore est  
 4 semper Socratico, Stygis tyranno  
 5 et nocti geminis prius juvenicis  
 6 mactatis, lemures vocat laresque,  
 7 Scyllas, Eumenides, canemque saevum  
 8 qui latrat triplici triformis ore  
 9 diris versibus improbis, malignis,  
 10 format sidere cereas figuras  
 11 infausto rapit ossa de sepulchris  
 12 et vestes laceras, precatur, orat,  
 13 Phoebum sollicitat, movet sororem,  
 14 firmat flumina, rupibus sub ipsis  
 15 montes concutit arduos, ferasque  
 16 mulcet sanguineas, avesque diras.  
 17 Nuper cum niveae ferum puellae

18 cor vellet magica ferire tabe,  
 19 res mira et nova, calceos, cothurnos  
 20 et laenam et crepidas et omne quicquid  
 21 partes corporis illius tegebat  
 22 convertit, varians, agens, supinans,  
 23 mutans sedulus ordinemque rectum ;  
 24 sed sors callida, justa, liberalis  
 25 effectus tribuit pie decentes :  
 26 incantata fugit puella, spernit,  
 27 odit, negligit, increpat, laccessit  
 28 dilectum juvenem prius sibique  
 29 jucundum satis. O sophos beatum,  
 30 O quanta est magicis viris potestas !  
 31 Si mutat Veneris pios amores  
 32 in saevas odii faces cruenti  
 33 ac duri, obtinet et nihil quod optat.

DE ROSA AD BASSANUM CASETTUM LAUDENTEM.

E1\_14 v.1 Non mihi te biferi misere rosaria Paesti,  
 2 non vitreus gelidis quae rigat Arnus aquis,  
 3 non quae lageo Memphiticus arva ligone  
 4 rusticus undanti flumine laeta fodit.  
 5 Nam tibi tam pulchrum tellus dare nulla colorem  
 6 posset, agunt tales jugera nulla rosas.  
 7 Clausa, latens niveo dominae sed pectore nostrae,  
 8 deliciosa meos nunc petis ipsa sinus.  
 9 Est tibi dulcis odor, color est ruber, aureus, ore  
 10 qualis et aurorae cum micat ante diem.  
 11 Pulchra Venus pulchro te sanguine tinxit Adonis  
 12 cum pius est saevo dilaceratus apro.  
 13 Electrum, casia, narcissum, cinnama, nardum,  
 14 thura, thymum, violas et meliloton oles,  
 15 apta Jovis sertis Veneris dilecta coronis ;  
 16 nec mirum, tetigit te quia diva manus.

BENEDICTO LACIOSO ERUDITISSIMO.

E1\_15 v.1 Si deus est simplex, immobilis, arte moveri  
 2 dic qua componi vel ratione potest ?  
 3 Si pater est, natum genuit : quo semine ? Semper  
 4 dic mihi principium qui fuit ante capit ?  
 5 Et sociat nobis si non sociabilis est se,  
 6 qualiter an fieri quod nequit ille facit ?  
 7 Fit gravis et gelidus cum vertitur ignis in undam,  
 8 est aqua nam calidus qui fuit ante focus.  
 9 Mutatum forsitan dices, non ille fuisset  
 10 qui fuit, assumpsit vel sibi forte virum.  
 11 Sumere non fieri, non jungere dicitur ; ille  
 12 qui sumit non fit, jungere non facere est.  
 13 Marmora si jungis ligno, non marmora lignum  
 14 sed lignum lignum, marmora marmora erunt.  
 15 In cruce sublatus moritur quis ? Non Deus : ille  
 16 nam se non potuit supposuisse neci.  
 17 Mortuus est si vir, non nos Deus ergo redemit  
 18 sed genus humanum de Styge traxit homo.

## JACOBO MAFFEO.

E1\_16 v.1 Te mihi dilectam piscosi gurgitis arcem,  
 2 pilea cum populum synthesis atque decent,  
 3 cum juvenes sumptis celebrant spectacula larvis  
 4 nunc satyri facie, nunc bovis ore trucis,  
 5 semivirique greges turritae cymbala matris  
 6 maenades et quatiunt tympana rauca, petam,  
 7 non ut lactentis pectusque caputque juveni  
 8 impubisque vorem tergora tosta suis,  
 9 non ut me turdo pingui vel turture pascas,  
 10 aut mihi des Libyes aut mihi cortis aves,  
 11 dulciter ut valeam sed te sentire loquentem,  
 12 dulciter et verbis reddere <verba> tuis, (vers lacuneux)  
 13 et digiti digitos et brachia brachia stringant,  
 14 et tua jungantur pectora saepe meis,  
 15 denique quod totus totum te tangere possim,  
 16 sentiat ut membrum gaudia quoque meum.  
 17 Hae mihi sunt epulae dulces, haec prandia lauta,  
 18 pocula sunt grati nectaris ista mihi :  
 19 nobilior quanto est omni mens corpore, tanto  
 20 est sua corporeis gratior esca cibis.

## AD MAGNIFICUM ONOPHRIUM ADVOCATUM.

E1\_17 v.1 Quisque sibi princeps aurum nunc servat avarus,  
 2 pervigil ut quondam lucida poma draco ;  
 3 non curat fasces, non laurea sarta decusque,  
 4 militiae probitas, arma fidesque jacent.  
 5 Nulla triumphali victoria pingitur arcu,  
 6 nulla triumphales gloria ducit equos ;  
 7 in serras clypeos, in sarcula decoquit enses,  
 8 in cava loricas dolia quisque faber.  
 9 Otia segnities et habendi caeca cupido  
 10 virtutum laudes praemia clara fugant.  
 11 Quo precor ut superi tanto pro crimine nostris  
 12 dent ducibus Crassi munera, dentque Midae.

## ADMIRATUR INGENIUM ANDREAE MANTEGNAE, PICTORIS EXIMI.

E1\_18 v.1 Arte novus mira vivam me pinxit Apelles,  
 2 aspice divinum Pygmalionis opus.  
 3 Igneus ex caelsis in me si spiritus astris  
 4 descendat natum virgo iterum pariam ?

## ANTONIO MAIO PRESBYTERO ERUDITISSIMO.

E1\_19 v.1 Antoni, Latiae cultor celebrate Minervae,  
 2 cui dea Pierio de grege prima favet,  
 3 cui lyra Pimpleis venerabilis exit ab antris,  
 4 sacraque Cirrhaeo flumina fonte madent,  
 5 divide grande sophos miracula, detege rerum  
 6 naturae causas fataque solve deum.

7 Incipe : florebit campus, si semina sparges.  
 8 Maturas segetes dat bene cultus ager ;  
 9 balsama si sparges, nascentur balsama, si tus  
 10 tura dabo. Sic vir non ero, divus ero.

MAGNIFICO VICTORI MARTINENGO.

E1\_20 v.1 Nosceret auspicii Venetus si jura senatus  
 2 quicquid et invictae foedera sortis agunt,  
 3 invictum veluti patrio de more Camillum  
 4 praeposuit genti Romula turba suae,  
 5 sic te praeponet merito praestantibus armis.  
 6 Nam fortunatum nomen utrumque tuum est :  
 7 est tua gens Martis, tu Victor ; proelia vincit  
 8 victoris quisquis spicula Martis habet.

EPITAPHIUM BASSANI.

E1\_21 v.1 Bassanus jacet hic, quem si te fata tulissent  
 2 ad juga, Maecenas, Gorgonis alta duce,  
 3 jugera post et oves cecinisset protinus ; alter  
 4 versibus egregiis "Arma virumque" Maro.

MAGNIFICO ONOPHRIO ADVOCATO.

E1\_22 v.1 Arguto laudes de te si carmine canto,  
 2 argutum carmen desinit esse meum.  
 3 Nec laudem laudes resonant ; nam laudibus ipse  
 4 talibus et tantis sidera celsa petis,  
 5 sit nihil ut quicquid tribuant tibi dulcia famae,  
 6 scripta licet magnus scriberet ista Maro.  
 7 Labitur ingenium, mens deficit, omnia solus  
 8 nominis egregii munera cum teneas.  
 9 Egregium nomen tibi das et munera laudum ;  
 10 extra te magni quod cupias nihil est.

IN LUCAM BONFIUM.

E1\_23 v.1 Spicula Mars Geticis linquens truculenta sub arvis  
 2 quis tulit ad Stygios Oromedonta lacus,  
 3 me petis ad ludos media quos notus arena  
 4 excitat hastatos cum vocat ore duces,  
 5 ut pia congressi celebrent spectacula, strident  
 6 atque corymbiferi tinnula sinistra dei,  
 7 fulva vel ut rapiant septenae praemia metae  
 8 aligeri pueris exagitantur equi.  
 9 Sed quem nec circi nec spectant amphitheatri  
 10 inter se fortes currere saepta duces  
 11 lancea nec quatitur, sonipes jacet, improba Thracum  
 12 Gradivus positus et quatit arma jocis.  
 13 Hoc nihil est, sed cum poscam non tacta puellis  
 14 limina, quas Aponi circuit unda domos,  
 15 sub tua si <mox> me venientem tecta vocabis (vers lacuneux)  
 16 jejunos linquam teque tuamque domum.



## TORCULAR.

E1\_24 v.1 Bacca premor duri sub pondere pressa trapeti  
2 marmoreo. Mecum dulcia vina fluunt.

## IDEM.

E1\_25 v.1 Hic ego marmorei sub pondere pressa trapeti  
2 bacca premor. Mecum dulcia musta fluunt.

## PRO REGE HISPANIAE.

E1\_26 v.1 Si domuit taurum, cervam, Stymphalidas, angues  
2 Alcides, magni si tulit astra patris  
3 oraque fecundae crescentia mortibus hydrae  
4 subtraxit, Stygium terruit atque canem,  
5 quid tum ? Fortis erat fatali numine ; quisquis  
6 si jubeat caelum vincere victor erit.  
7 Si domuit Gallos victricibus inclytus armis  
8 Caesar et Emathiam sanguine lavit humum,  
9 quid tum ? Fortis erat Romano milite, longo  
10 assueto populos vincere Marte truces ;  
11 sed tu nec caelo pugnas, rex inclyte, forti  
12 milite nec, sed quod tu facis ipse facis,  
13 et si victrices etiam se Caesare Caesar  
14 gestasset laurus, Caesar es ipse magis.  
15 Nam servare quibus patriam sanctumque senatum  
16 debuit, in patriam ferreus arma tulit.  
17 At tu nec patrii violas pia foedera regni,  
18 in tua nec saevus viscera tela moves.  
19 Et si nec patrio dirus sua sanguine Caesar  
20 spicula tinxisset, Caesar es ipse magis.  
21 Nam te non aurum, nec regni caeca cupido,  
22 sed pietas sancta religione movet.  
23 Bella geris, non bella geris, gerit improbus ille  
24 ut bellum moveat qui fera bella movet.  
25 Qui ferit ut feriat, qui sanguine spargitur ut sit  
26 sanguineus, cladem qui facit ut faciat ;  
27 sed tu bella moves ut pacem, rex pie, condas,  
28 ut pacem condas, rex pie, bella moves,  
29 et regis ipse regas ut tantum, munera spernens  
30 aurea. Sic solus qui regit, ille regit.

## DE DOMITIO CALDERINO.

E1\_27 v.1 Pulveris ut sacri videas monumenta, viator,  
2 Benaci assurgens quae gravis unda ferit,  
3 siste, gradum Domiti pueriles ista querelas  
4 infantis primum sensit ab ore domus.  
5 Qui sacer arcano prompsit de pectore vatium  
6 quicquid erat Phoebi Pallados et Genii.  
7 Egregium tibi Roma decus. Discede viator :  
8 luminibus debes sat (mihi crede) tuis.

## LUDOVICO CENDRATAE.

E1\_28 v.1 Non habeo cum nummos, <et> vasa aurea, mensas (vers lacuneux)  
 2 quas ornant gemmae sub quibus albet ebur  
 3 nec mea centenis insurgunt tecta columnis,  
 4 nec domus antiquis fulget imaginibus,  
 5 praedia nec gravida Cereris mihi munus aristas  
 6 producunt vites nec mihi, Bacche, tuum ;  
 7 nec meus est ostro sonipes nec splendidus auro,  
 8 nec nitet in digitis plurima gemma meis ;  
 9 insanum me cerdo vocat sutorque faberque,  
 10 insanum dives qui caret ingenio.  
 11 Accusat, mordet, lacerat damnatque fugatque.  
 12 Nec me Parnassus nec sua templa juvant ;  
 13 nobilis est tantum dives magnusque potensque,  
 14 solus habet socios, solus in urbe valet.  
 15 Laudatur, petitur, colitur, celebratur, amatur ;  
 16 est praetor solus, est quoque solus eques.  
 17 Sed meritis hominum si dividerentur honores,  
 18 insanum qui me, qui sine mente vocant,  
 19 insanos sese, sese sine mente viderent.  
 20 Solus honor merito qui datur, ille datur.

## BLANCO COMAE.

E1\_29 v.1 Non auri pretium, Tuscae non serica gentis  
 2 quaeque gerit Calabra dona Galesus humo,  
 3 non decus egregium formae, non dulcia linguae  
 4 murmura, non Phoebos lumina clara magis  
 5 me tenuere diu sine conjuge ; saeva cinaedum  
 6 haec Phrygium teneant, haec quoque vota Midam.  
 7 Sed facies ardens Veneris sub pectore casto,  
 8 juncta sed auricomae Julia Tyndaridi,  
 9 haec me causa diu fecit, pater, una puellam  
 10 legitimo nullam me sociare toro.  
 11 Non petit hanc quisquis fugit horrida bella, tumultus  
 12 deque suburrans Thaida fornicibus.

## JACOBO MAFFEO QUI CANDIDUS DICITUR.

E1\_30 v.1 Vis doceam vitae laeto te vivere cursu  
 2 quemlibet et nivea ducere sorte diem ?  
 3 Sit tibi parvus ager qui fertilis atque benignus,  
 4 te tamen exiguo munere parvus alat.  
 5 Intret nulla domum conjunx ; sed si tamen intret  
 6 nec sit pulchra nimis, docta nec illa nimis.  
 7 Non agitet Bacchus vigilans non somnia curae  
 8 ebria non sed sint sidera plena jocis.  
 9 Crimina non animus vexent, non caeca voluptas,  
 10 non avidum miseri tristia dona Midae.  
 11 Endromidem sumas glaciem cum frigora cogunt,  
 12 Syrius exiguum cum ferit arva togam.  
 13 Invidiae fugias simulos et clara potentum  
 14 limina ; sic semper candide laetus eris.

## AMBROSIO TARVISINO.

E1\_31 v.1 Mirantur Lachesis geminaeque puellae sorores  
 2 ducere non brevibus stamina posse colis  
 3 rumpere quaeque studet tenui de vellere fila ;  
 4 fila rigent, vano quaeque labore cadit,  
 5 accusant caelum, superos, magnumque Tonantem  
 6 quod sua non servent foedera lege nova.  
 7 Juppiter est aequus, Parcae sunt numina, vestras  
 8 non mutant leges jura nec ulla novant.  
 9 Ambrosii manus est medici qui pensa colosque  
 10 vestraque Phoebea foedera rumpit ope.

## JACOBO MAFFEO PRAETORI PISCHERIAE.

E1\_32 v.1 Non quod sis praetor multi cui justa dedere  
 2 pisciferae pisces nomina laetor aquae,  
 3 sed quod praetorem praetor te fecerit ille  
 4 omnia cui justae foedere legis agit.  
 5 Praetorem magnae fecit te maximus urbis  
 6 cum dixit Marcus : "Candide praetor eris."  
 7 Te minor aedilis, minor est te consul uterque ;  
 8 muneribus tantis et tibi caedit eques.  
 9 Tu vere es praetor, nummis nec stemmate factus,  
 10 sed virtute tua, sed pietate ducis.

## MARCO ANTONIO MAUROCENO PRAETORE DISCEDENTE.

E1\_33 v.1 Cynthia, cur tantum properas ? Cur plaustra, Boote,  
 2 tam celeri cursu, perfide, tarda moves ?  
 3 Hunc teneas mater docti te turba Catulli,  
 4 oramus, surgant ne Phaethontis equi.  
 5 Sic liceat mediae te mergere fluctibus undae,  
 6 sic amet aetherei te soror alma Jovis.  
 7 Nam cras heu patriae vult moenia linquere nostrae  
 8 Marcus amor populi deliciaeque sui.  
 9 Memnonis auratis et tu, pater optime, tectis  
 10 auroram teneas ne volet ante diem,  
 11 ante diem miserum, tristem quo tendere quaerit  
 12 ad Venetos nostra Marcus ab urbe duces.  
 13 Marce, litant arae. Populus rogat atque senatus,  
 14 ut superi noctem dent sibi perpetuam,  
 15 quo maneat : nam te non discedente serenae  
 16 Nocte sub obscura tempora lucis erunt.

## PETRO BRAVO DE PRAETORIS DISCESSU.

E1\_34 v.1 Non teneas querulas voces, ostende dolorem,  
 2 Petre, tuum, lacrimis spargere quemque decet.  
 3 Heu, sonat horrendum lacrimosis maesta querelis  
 4 urbs tua, quae laetum laeta sonabat io.  
 5 Discedit Marcus ; discedunt jura fidesque  
 6 et patriae splendor, fama decusque tuae.

7 Floremus, fas est, iterum plorare juvabit.  
 8 Improba jam carmen noctua triste canit.  
 9 Non roseus nobis det dulcia vina minister,  
 10 sed Laletanos lusca puella cados.  
 11 Tempora non cingant nardi de flore coronae,  
 12 sed mala quas arbor dat, Cyparisse, tua.  
 13 Sint pullae vestes, sint omnia fletibus apta ;  
 14 hunc notet infaustum plumbea gemma diem.  
 15 Discedit Marcus ; lex, mores civibus ipso  
 16 urbs tua discedit denique tota duce.

## IN MALUM POETAM.

E1\_35 v.1 Per fora clamosas exercent improba lites  
 2 causidici : Marsus concinit "arma virum".  
 3 Eurydicen media vates miserandus arena  
 4 carmine flet : Marsus concinit "arma virum".  
 5 Flet sistrata bovem lacrimosis turba querelis  
 6 Niliacum : Marsus concinit "arma virum".  
 7 Cymbala rauca movent Cybelis qui templa frequentant,  
 8 qui Bromii : Marsus concinit "arma virum".  
 9 Clamorem ingeminant nati super ora parentis  
 10 extincti : Marsus concinit "arma virum".  
 11 Concinit "arma virum" sociis natisque patrisque.  
 12 Si bibit, "arma virum", si cacat, "arma virum".  
 13 Scire cupis causam ? Didicit quod tempore multo  
 14 hoc tantum perdat ne timet : "arma virum".

## DE JULIO CAMPAGNOLA.

E1\_36 v.1 Omne decus nostro quisquis sub tempore quaerit  
 2 cernere quod veteres nobilitavit avos,  
 3 Euganeae spectet niveum telluris alumnum,  
 4 Qui modo Veronae tecta laresque colit.  
 5 Ignoras quis sit ? Dicam tibi. Julius ille est,  
 6 ille sui natus maxima cura patris.  
 7 Cum tentat citharae vocales tangere nervos  
 8 hunc super argutae plurima pendet avis,  
 9 ursa, laena, lupus, tigris, basiliscus, ichneumon.  
 10 Seque ferae mites carmine cujus agunt.  
 11 Sabbata qui loquitur Solymis ut gentibus ortum  
 12 juret Idumaeo quisquis ab ore venit,  
 13 Cecropiis credat doctis et quisquis Athenis  
 14 Theseum docto cum sonat ore sophos ;  
 15 qui modo quaeruleis pisces quos pinxit in undis  
 16 credidit in veris ludere Glaucus aquis,  
 17 est (ut forte putas) longis hic debilis annis ?  
 18 Dulcia matris adhuc ubera parvus amat,  
 19 et nucibus celerique trocho per compita ludit,  
 20 et manibus faciles jactat ad astra pilas.  
 21 Non puer et puer est ; dubitas ? Vis discere quare ?  
 22 Quod cantat scribit disputat atque legit  
 23 a patre doctus habet ; teneris quod ludit ab annis  
 24 denique se puer est virque senexque patre.

## AD M. ROLANDUM PALLAVICINUM.

E1\_37 v.1 Sunt qui mirantur te moenia condere Caesar,  
 2 quorum marmoreus sidera pulset apex.  
 3 Insupe aethereum tibi construxisse colossum  
 4 Praxitelis doctas Mentoris atque manus,  
 5 quod logicae laqueos et caeca sophismata solvis,  
 6 quod rerum causas et sua fata vides,  
 7 carmina quod vates dulcis meditaris avena,  
 8 eloquii nectar quod Ciceronis amas.  
 9 Haec ego non miror : nam tu de Pallade natus  
 10 Pallados ingenium Pallavicinus habes.

## AD EUNDEM DE ARCE MAJORE.

E1\_38 v.1 Aulam qui dixit majorem, candide Caesar,  
 2 hanc arcem, vates maximus ille fuit.  
 3 Noverat arcanum pectus Jovis atque deorum  
 4 et quodcumque sacro sidus in orbe micat.  
 5 Parva fuit quondam parvis circumdata muris,  
 6 et tamen hic parvae nomina magna dedit.  
 7 Cur ? Quia nascentem, Caesar, te clare videbat  
 8 et regni fines amplificare tui.  
 9 Perge igitur magno te magna vocabitur aula,  
 10 magna tamen, non te praeside major erit.

## AD EUMDEM.

E1\_39 v.1 Montibus in mediis inter cava lustra ferarum  
 2 quadrupedum duro vix adeunda pede,  
 3 qua gelidus Boreas anima quatit alta furenti  
 4 culmina, qua gelidum nix tegit alta solum,  
 5 Caesaris excelsi venerabilis aula superbit,  
 6 Mentoris, ut fama est, nobilitata manu.  
 7 Belliferato rigidi sunt cardine postes,  
 8 belliferata janua clausa sera,  
 9 custodes aditus primo sub limine servant,  
 10 armatae quatiunt tela cruenta manus.  
 11 Loricis, clypeos, enses, thoraca, sagittas  
 12 et quibus excutitur plumbea massa vides.  
 13 Pervigil in summa liquidum ferit aethera turri  
 14 excubitor socios dum vocat arce suos.  
 15 Si serpentiferi facerent fera bella Gigantes  
 16 in superos, arcem Mars ferus hanc peteret.

## LUDOVICO CENDRATAE.

E1\_40 v.1 Duxerunt alios ad me mea carmina, non te ;  
 2 ad te namque tuo nomine ductus eram.  
 3 Praetorem vidi, vidi te numen habentem,  
 4 te non praetorem vidimus ore tuo.  
 5 Inter tot facies te solum nostra videbant  
 6 lumina : nam solus lumine clarus eras.  
 7 Cum sol lumen agit non sidera clara videntur,  
 8 parva locum magnis lumina dant radiis.

## EIDEM.

E1\_41 v.1 Quam pia dulcisono facundia praemitur ore,  
 2 quam bene compositos scit dare lingua sonos !  
 3 Dum loqueris repunt scopuli silvaeque feraeque,  
 4 garrula nec Progne nec Philomena canit,  
 5 aethereiue tacent sonitus et murmura ponti,  
 6 nec madidus largo sibilat ore Notus,  
 7 voce gravi suavique sono linguaque benigna  
 8 non mortale sonans : quam venerandus homo es !

## DE QUADAM VETULA.

E1\_42 v.1 Quas non producunt formas, quod sidera monstrum  
 2 non pariunt ? Quam non vim Jovis orbis habet ?  
 3 Quis negat Aetnaeos flammis ructare caminos ?  
 4 Quis Scyllam rabidos per mare ferre canes ?  
 5 Quis serpentigeri crudelia lumina monstri,  
 6 cujus ad huc visu corpora multa rigent ?  
 7 Credimus armatam furiis atque igne Chimaeram,  
 8 Hydrae fecundum credimus esse caput.  
 9 Femina Cumaeae superans nam longa Sibyllae  
 10 saecula, legiferi tempore nata Numae,  
 11 exsanguis, moritura, cadens, sine viribus ullis,  
 12 umbra velut tenuis et velut aura levis,  
 13 quae rugosa suum baculo vix firmat anile  
 14 corpus pannosa quae tumet atra cute,  
 15 in media potuit bis ter concumbere nocte,  
 16 atque puellares vincere docta jocos.  
 17 Haec si marmoreum tanget lasciva Priapum,  
 18 marmoreum tactus arriget ipse caput.  
 19 Hanc licet Hippolytus fulvo sit pictus in auro  
 20 dum videt ut futuat quaerit habere locum.

## BLANCO COMAE.

E1\_43 v.1 Cur non clarus eques, cur non mihi consul amicus,  
 2 cur non sit praetor causidicusque rogas ?  
 3 Non facit hoc scabies animi, non livor iniquus,  
 4 sed <si> quem miserum dives amare negat ; (vers lacuneux)  
 5 nec quod amem poscit, sed quod venererque colamque  
 6 et veluti sacris dem pia tura focus,  
 7 ante suum curram gelidae sub frigora brumae  
 8 fessus equum madido per loca plena luto.  
 9 Qui vult ista pati, tales sibi quaerat amicos :  
 10 imperium fugio, quos amo non veneror.

## IN SYLVIAM.

E1\_44 v.1 Caeci Sylvia Caucasi latebris  
 2 antris vel Rhodopes putat nivalis  
 3 natam te videt esse qui superbam,  
 4 ingratham, tumidam, feram, protervam,

5 Zanclaeae genitam sinu Charybdis  
 6 nec non vel scopulos rapacis inter  
 7 Scyllae quae trahit improbis carinas,  
 8 mergens fluctibus et sonante vento.  
 9 Hoc cum candida, cum venusta tu sis,  
 10 non te dicere candidam, venustam,  
 11 permittit juvenes ; trucem ferarum  
 12 quo ponas animum rogat Venus te.  
 13 Qui splendet maculis nitetque signis  
 14 auratis coluber licet decorus  
 15 spectetur, truculentus ore nigro  
 16 quod saevit, sine luridum decore  
 17 hunc nos fugimus. <Si> puella tristis  
 18 sit formosa licet, decora non est.

(vers lacuneux)

## DETESTATUR MULIEROSOS JUVENES.

E1\_45 v.1 Perdat fulmine Juppiter trisulco  
 2 quisquis femineas sequi catervas  
 3 optat, pervigili miser labore  
 4 tendit retia namque aranearum  
 5 saevis tigribus horrido leoni  
 6 et quaerit glaciem super labantes  
 7 gressus figere lubricam, marisque  
 8 insani manibus tenere fluctus.  
 9 Fallax, improba, saeva, tristis, amens,  
 10 infirma, instabilis, procax, petulca  
 11 quaeque est femina, quam libido caeca  
 12 ut tactam stimulis agit juvencam  
 13 oestrum concitat et movet furore.  
 14 Nec leges thalami sacras jugalis  
 15 nec curat patriae decus verendae  
 16 dum vastum femur impleat Priapo  
 17 procero, rigido, salace, duro ;  
 18 arridet tibi, cum parat venenum,  
 19 immites gladios, feras bipennes ;  
 20 tigrem quam placidam putat magister  
 21 perfossus rabiem videt feramque ;  
 22 ut semper rabiem lupus lupinam  
 23 immitis redolet, maligna semper  
 24 mores femina feminae malignos.

## VOTUM SOLVIT VENERI.

E1\_46 v.1 O quae diva regis Gnidum Paphumque  
 2 Neptuni gremio Venus creata,  
 3 quam circum jocus et tener Cupido  
 4 exsultant hilari procacitate.  
 5 O quam Sicanias Eryx per urbes  
 6 extollit, celebrat, probat colitque,  
 7 adsis, tempora myrteis corollis  
 8 gestans cincta faces quibus medullas  
 9 exuris juvenum pie tenellas,  
 10 fulvae fortia cuspidisque tela  
 11 quae caeli penetrant fores profundi,  
 12 quae nigras Stygis horridae paludes,

13 quae saevas tumidi maris procellas.  
 14 Hoc scit maximus ille rex deorum,  
 15 qui fluxit Danae sinus in aurum,  
 16 ignis, taurus, avis, puella, serpens  
 17 factus vulnere qui tuae sagittae est ;  
 18 nec non qui freta caerulus tridente  
 19 cogit Gorgoneo deus calore  
 20 ardens, crura, pedes, caput jubaque  
 21 acris sumpsit equi, Jovis paterque  
 22 et natam Cereris Stygis tyrannus  
 23 sub caecos rapuit lares Averni.  
 24 Adsis, nam tibi spargimus marathra,  
 25 narcissum, violas, crocum, papaver,  
 26 electrum, casiam, thymum, ligustra,  
 27 et quae tura solum gerit Sabaeum,  
 28 et Myrrhae lacrimas libidinosae.  
 29 Adsis, te precor, o Venus decora ;  
 30 jam laudes resonat tuas sacerdos,  
 31 aris Assyrium tuis amomum  
 32 ardet jam crepitantibus favillis.  
 33 Adsis, vota tui tholo sacelli  
 34 solventes pia figimus tabellam.  
 35 Quae dudum fuerat mihi puella  
 36 duro marmore durior lupisque  
 37 saevis saevior et leone diro,  
 38 est clemens, facilis, benigna, mitis,  
 39 ridet blandula, bellule jocatur,  
 40 reddit basia dulcibus labellis,  
 41 pressis dentibus et micante lingua.  
 42 Quod si nectaris imbuet liquore  
 43 grato Sylvia, me tui videbis  
 44 ad templum tibi ferre me dicatum  
 45 munus nobilius magisque clarum ;  
 46 magni munera ponderis capit qui  
 47 magnum reddere munus ille debet.

EXSTINCTAE ANIMAE SPETIEM PRAEBUISSE AMICAE IMPUTAT.

E1\_47 v.1 Vox decidit si forte mihi, si faucibus haerens  
 2 non dedit appositos frigida lingua sonos,  
 3 desine mirari : dominae sub pectora nostrae  
 4 cor volitans, volitans fugerat atque anima.  
 5 Vox animae ventus nihil est nisi, verba calore  
 6 aera robusti cordis agunt tenuem.  
 7 Mirari potius debet quod verbula fudi,  
 8 nam mirum est quotiens mortua res loquitur.

NON SEDENTARIAM PACEM, SED VEGETUM BELLUM INVICTUM PROBARE DUCEM MONET.

E1\_48 v.1 Dux Venetum forti rursus dedit aurea Turco  
 2 sceptris quibus Getici temperat arma dei,  
 3 Pallados et tumidas componit strenuus iras,  
 4 cum fera Gorgoneum concutit ense caput.  
 5 Noscit enim saevos non vincere posse tyrannos,  
 6 innumeros solum nec superasse duces.  
 7 Hoc nisi rege potens Gallos sic Roma rebelles



8 depulit, et victrix perdita regna tulit :  
 9 dimissum revocans ad Martia signa Camillum,  
 10 denotat invictum flebilis ore ducem.

LEONEM FERAS ALIAS PARVIPENDERE.

E1\_49 v.1 Quid cristatus agit sinuosa volumina serpens ?  
 2 Sibilat et saevo cur lupa dente fremit ?  
 3 Lustra ferae subeant omnes, leo nam ferus ille  
 4 qui maris et terrae regna superba tenet,  
 5 ore vomit flammam et acuto fulminat ungue,  
 6 ferrea letali spicula dente secat.  
 7 Adde quod et solem stabili sibi foedere junxit  
 8 cujus luce nitens lumina quaeque fugat,  
 9 oppositos stringens oculos inimicaque regnis  
 10 obscurans radii regna calore sui.  
 11 Sed quid plura ? Fero virtus sub dente leonis  
 12 quaeque cadit, solis cum micat igne sui.

EPITAPHIUM BASSANI.

E1\_50 v.1 Legitimum tumulo Bassani scribere carmen  
 2 quis cupis, hoc tantum scribe : "Poeta jacet".

EJUSDEM.

E1\_51 v.1 Quid titulos quaeris ? Satis est tibi dicere : "Corpus  
 2 hic Bassanus habet ; cetera fama dabit."

EJUSDEM.

E1\_52 v.1 "Mantua, pyramidem pario quid marmore condis ?"  
 2 "Bassanum capiat maximus ut tumulus."  
 3 "Pyramidem perdis, perdis quoque marmora : totus  
 4 Bassani tumulo vix satis orbis erit."

EJUSDEM.

E1\_53 v.1 Bassani tumulum lauri redimite poetae  
 2 frondibus et Phoebus condite templa novo.  
 3 Est si nam Phoebus sacer et venerabilis, omnes  
 4 qui clausit Musas pectore Phoebus erat.

AD QUIRITES ROMANOS, DE VIRTUTE REDUCE REDIVIVAQUE.

E1\_54 v.1 Incllyta nascetur virtus, gaudete Quirites ;  
 2 militiae redeunt signa decusque novae.  
 3 Qui modo marcebat vino, qui Thaida demens  
 4 nunc olidam princeps, nunc rapiebat Hylam,  
 5 Martis amore furens claraeque et laudis honore,  
 6 strenuus ardentes ducit ad arma viros.  
 7 Otia segnitiam pariunt, gelidumque timorem ;

8 ingenii robur corporis atque labor.

AUSPICATIUS VENETORUM IMPERIUM ROMANO NASCI ASSERTIT.

E1\_55 v.1 Nascitur imperium Romae non viribus impar,  
 2 Ilia quod sacros non tulit ante focos,  
 3 quod non pastores vallis atque aggere cingunt,  
 4 marmore sed Veneti legibus atque patres.  
 5 Tiburis arx, tellus Campana, Neapolis, Anxur,  
 6 Ardea sub Marci numine tuta sedet,  
 7 anguigerique ducis solus fugat agmina Marcus  
 8 barbara, Gallorum deprimit atque minas.  
 9 Nobilior Roma Roma est quae nascitur, Anco  
 10 principe non regnum Caesare sed capiens.

IN GALLUM.

E1\_56 v.1 Forte putas multas unum satiare puellas,  
 2 uxores satiat solus ut ille suas.  
 3 Sed temet fallis : multis gallina maritis  
 4 est satis haec, multos vinceret una viros.  
 5 Uxorem galli qui ducis nomine, Galle,  
 6 cristati Cybeles denique gallus eris.

IN GALLUM.

E1\_57 v.1 Quod tecum posito lusit Venus aurea cesto,  
 2 blandus et arrisit quod tibi, Galle, jocus  
 3 obtulit et vultu sese tibi forma sereno,  
 4 et decor et fulvis gratia quaeque comis,  
 5 ponere jussisti longos e vertice crines  
 6 quos tibi sidereos Oebalis ora mares,  
 7 quos Mitylenaeo misit de litore Lesbos.  
 8 Venit et ad thalamos nupta puella tuos,  
 9 jam jam pro cunctis tibi cunnus amicus amicis  
 10 gratus et unus erit, carus et unus erit.  
 11 Pignus amicitiae reddas mihi, non es amicus,  
 12 nam quia non tuus es, non potes esse meus.

IN EUMDEM.

E1\_58 v.1 Nominibus dant res vires, non nomina rebus ;  
 2 res sunt, <at> nomen nil nisi nomen habet. (vers lacuneux ?)  
 3 Auri si nomen ferro dabis, haud tamen auri  
 4 splendorem ferri lamina caeca dabit.  
 5 Nomine sub galli duxisti, Galle, puellam  
 6 quae Veneris magnum pectore robur habet.

LODOVICO CENDRATAE.

E1\_59 v.1 Igneus ardentis qui Syrius urit aristas,  
 2 quaeque Cleoneae torrida signa ferae  
 3 flammiferaeque faces quas per ferventibus efflant

4 naribus aetherei sidera quadrupedes,  
 5 ambustaeque et sole viae, velut improbus olim  
 6 cum puer optatos non bene rexit equos  
 7 non prohibent doctum dulces haurire liquores  
 8 te neque Cecropiae sumere nectar apis.  
 9 Non calor exsiccat nitidas, crinita colubris  
 10 foemina quas sparso sanguine fecit, aquas,  
 11 decrescunt numquam largae Permessidos undae,  
 12 semper habent rivi flumina Pierii.  
 13 Sic tamen ut scribas prohibet tibi Julius ardens,  
 14 frigida sit glacies, sit mihi semper hiems.

## IDEM.

E1\_60 v.1 Quod te Castalidas calor sorores,  
 2 divinum Ciceronis atque fontem  
 3 cogit linqere fervidi leonis,  
 4 aestas spicea Juliusque fervens,  
 5 igniti radii facesque saevae  
 6 et currus Phaethontis impudici,  
 7 vellem Tartareo suum tyranno  
 8 lumen perpetuis darent diebus.  
 9 Odi te nitidam tacente lucem.

## PETRO BRAVO.

E1\_61 v.1 Quidam me lacerat loquax caninis  
 2 saevo dentibus ore circulator ;  
 3 inter non homines probos, pudicos,  
 4 illum nam fugiunt viri severi,  
 5 molles sed pathicos adulterosos,  
 6 lenones, lanios, coquos, petauros  
 7 et quos cenula lassat inquietos,  
 8 viles cistiferos, rudes ministros.  
 9 Hunc si noscere vis tenebrionem :  
 10 nares simae habet et capellae ocellos,  
 11 collum vulturis et caput leonis,  
 12 ingentes asini genas et aures,  
 13 cui caedit crocodillus ore lato,  
 14 quo stridens melius cicada cantat,  
 15 et caeno genitus culex Ravennae.  
 16 Quem tantum duo per forum clientes,  
 17 quos tristis cruciat fames, sequuntur,  
 18 quem vos o socii fori vocatis  
 19 picam nomine garrulumque corvum.  
 20 Hunc verbis moneas tuis rogamus  
 21 ne bilem moveat fero leoni,  
 22 illum ne veluti ferox asellum  
 23 perdam dentis aper meis furore.

## JACOBO MAFFEO.

E1\_62 v.1 Herculeum superat laeto qui sidere Tibur,  
 2 et qui Baiani rura beata soli,  
 3 Appula cui caedunt felicibus otia campis,

4 et cui pampineis Setia clara jugis,  
 5 Circei colles, nutricis et aequora duxit  
 6 qui pius, ad Latias Troica sacra domos,  
 7 Benaci nitidosque lacus et flumina, praetor,  
 8 caerula Nereidum poscere tecta paras.  
 9 Te precor, et tandem pallentes exue curas  
 10 fessus et urbano subtrahe colla jugo ;  
 11 te precor, et populi linguens fora, bella, tumultus,  
 12 tempora pacificae laeta quietis age.  
 13 Quo mihi si licet (in) niveis signare lapillis  
 14 te quaecumque tuum nuntia fama diem,  
 15 protinus accedam geminis ut Daedalus alis.  
 16 Tristis eris, valeas perdere nolo dies.

## DE TOGATO DOCTORE.

E1\_63 v.1 Militis audiret cum tristia verba, togatus  
 2 doctor et irati cerneret arma viri  
 3 "Cedant arma togae", non noscens carmina, "cedant",  
 4 forte putans "armis" dicere velle "togae",  
 5 cessit et hoc quamvis fecit sine lege poetae,  
 6 attamen arripuit non sine lege fugam.

## IN MALUM CAUSIDICUM.

E1\_64 v.1 Non pudet insontem morsu te laedere vatem  
 2 vipereo rauci garrula pica fori ?  
 3 Vendere qui tantum viduis mendacia noscis  
 4 et dare plebeis verbula falsa reis.  
 5 Qui geminos toto defendis mense clientes,  
 6 quorum jejuna squallet uterque fame ;  
 7 qui meretricis agis causam quam luridus ustor  
 8 uno sandapila comprimit asse sua,  
 9 litibus hos serva strepitus, haec sibila ; docti  
 10 non clypeis Phoebi plumbea tela nocent.  
 11 Exstincti lacerent funus tua rostra tribulis,  
 12 non vivi corvos scalpere membra licet.

## JACOBO MAFFEO.

E1\_65 v.1 Felix quem tandem clamorae jurgia plebis  
 2 urbis et imperium linquere fata jubent.  
 3 Tandem te poteris longa satiare quiete,  
 4 nec rumpet somnos garrula turba tuos :  
 5 non faber in lacubus fervens dum lamina stridet  
 6 ictibus et crebris aera repulsa sonant,  
 7 non pistor media qui percutit ostia nocte  
 8 ut capiat tabulas virve puerve suas.  
 9 Orgia non Bacchi, flentis non sinistra Canopi  
 10 curva, Celaenaeae rauca nec aera deae,  
 11 non fremitu circus populi, non voce theatrum,  
 12 nulla taberna suis nullaque pila sonis.  
 13 Gaudia quid differs ? Subito qui vivere coepit  
 14 bis vivit vita bis fruiturque sua.

## PETRO BRAVO.

E1\_66 v.1 Munera dat sutor, tumidus dat munera caupo,  
 2 laudibus et populi clarus uterque nitet.  
 3 Hos celebrant aulae, fora, compita, litora, thermas,  
 4 hos sequitur tristi pallidus ore cliens.  
 5 Cum dux laurigeros ducit de more triumphos  
 6 proximus est illi calceus atque cadus,  
 7 subula vult, clarum vult ferrea sica tropaeum.  
 8 Dat populis leges qui fuit ante faber,  
 9 ante domum volucrem dives sibi pinget arator  
 10 quae gerit irato tela trisulca Jovi.  
 11 Ingenuus pauper nunc est bis pauper : honore  
 12 nam caret et laetae munere sortis inops.

## EIDEM.

E1\_67 v.1 Cornibus insignis croceis et veste superbus  
 2 murice quam tinxit luxuriosa Tyros,  
 3 frontis et auratae referens Idaeus honorem,  
 4 aequoris et terrae qui loca cuncta docet  
 5 augurio missus laeto, nam regna Syenes  
 6 fervida quaerebat Tethyos atque caput,  
 7 ad nostras venit silvas, ad jugera parvi  
 8 ruris, ad incultae rustica tecta casae,  
 9 quam cum spectasset "Miserum me" dicere coepit :  
 10 "Sunt ubi nunc thalami, Petre superbe, tui ?  
 11 Limina Mygdonio quae marmore candida fulgent  
 12 quaeque sub aurato janua poste nitet,  
 13 atria centenis ubi sunt elata columnis  
 14 stragulaque et picti sardonychata tori ?"  
 15 Tunc ego "Quam Musae celebrant, quam pulcher Apollo  
 16 te quoque non pudeat tecta subire domus ;  
 17 et me Petrus amat." Petri cum nomina sensit,  
 18 admovit celeres in mea tecta pedes.  
 19 O quam magna tui est reverentia nominis, illud  
 20 si plusquam Phoebi numina quisque colit !

## JACOBO MAFFEO DE LYGDO.

E1\_68 v.1 Candide vis Libyci desaeviat ira leonis  
 2 et placidi timeant te lupus atque bison,  
 3 vis te luminibus spectet basiliscus amicis  
 4 et non sit saevo dente timendus aper,  
 5 vis fera lascivis tigris sit mitior haedis  
 6 mitior et blando torva leaena cane ?  
 7 Fac Lygdi spectent oculos et protinus omnes  
 8 deponent rabiem caedis et arma ferae.

## MARCO AEMILIO EQUITI.

E1\_69 v.1 Qui regit Insubres lapidosaque regna Tridenti  
 2 Teutonico cum sis Caesare factus eques,  
 3 fas sit et aurata puerum te cingere zona

4 et textam Phrivi vellere ferre togam,  
 5 sedibus et primis sedeas, cum jura senatus  
 6 dat populo vel cum praebet arena jocos,  
 7 moribus auratis te, candide Marce, decorum  
 8 esse decet legum sanctaque jura sequi.  
 9 Sardonyces, aurum, torques Scythicosque smaragdos  
 10 non est qui tantum corpore gestat eques :  
 11 nobilitas vera est animi praestantia, vires,  
 12 arma, fides, pietas, mens proba, laudis amor.  
 13 Si nescis deceant equites quae jura, parentis  
 14 et vitam et mores inspice, Marce, tui.

## JOANNI DE MILIIS.

E1\_70 v.1 Quod tua non deceant auratae corda sagittae  
 2 nec Veneris teneros zona recincta sinus,  
 3 orgia quod celebras arcanis conscia cistis  
 4 Pontificumque sacras te licet esse dapes,  
 5 falleris : exigui duro qui verbere saxi  
 6 hostem perdomuit, captus amore fuit,  
 7 et qui vix Solymis gladio genitoris in arvis  
 8 occidit aethereo victima grata Jovi  
 9 et quamvis Phoebo Calcas serviret, amavit,  
 10 et senior Chryses, tu quoque, sancte Numa.  
 11 Ut generent homines Deus et natura creavit  
 12 aethera, tellurem velivolamque mare.  
 13 Hinc qui sunt steriles merito nos spernimus agros  
 14 et damus accensis arida ligna focus.

## HIERONYMO CAMPAGNOLAE.

E1\_71 v.1 Scripta quod Anchiali recutitae dogmata gentis  
 2 quaeque legunt Thebae gensque diserta Remi  
 3 nondum bis quinos superat qui mensibus annos  
 4 omnibus et binas implet Olympiades,  
 5 quem genuit mater te, Campagnola, parente  
 6 et legit et scribit corrigit atque puer,  
 7 doctior et Coe Venerem quod fingit Apelle  
 8 clarius et claro Mentore nomen habet,  
 9 mirantur multi ; non est mirabile, cum tu  
 10 sis genitor, natus sit puer ille tuus.  
 11 Omnes has niveo virtutes pectore servas,  
 12 sed claudis pueri victus honore tui ;  
 13 hic amor, haec pietas, haec est reverentia major  
 14 quam dare poscenti jugera, vasa, domos.  
 15 Non Cybeles pomum producit aquatica lotos :  
 16 nascitur egregio stirps generosa viro.

## DE AVARITIA PUELLARUM URBIS.

E1\_72 v.1 Quisquis amat Venerem, Veneris cui grata libido est,  
 2 cuique placent Cnydii tela facesque dei  
 3 deserat infestae celeri pede sedulus urbis  
 4 limina fastosos ambitiosa lares.  
 5 Non amor est illic, sed lis, sed jurgia, sed quae

6 humanum vexat pallida cura genus,  
 7 tristis avaritiae rabies quae colligit aurum  
 8 quaerit et immodicas anxia semper opes.  
 9 Quaelibet in media munus petit urbe puella,  
 10 aes amat et gemmas purpureamque togam ;  
 11 et si non mitram, si non bombycina portas,  
 12 te fugit et flammam ridet avara tuas.  
 13 At hic per violas, per florida jugera campi  
 14 simplicitas niveo currit amica pede :  
 15 Sylvia non aurum poscit, non serica, sed me.  
 16 Illi ego sum fulgens divitis unda Tagi,  
 17 divitiae nobis sunt Crassi basia, Croesi  
 18 amplexus, Veneris dulcia furta Midae.  
 19 <Et> te propter quae non diligit improba, non te (vers lacuneux)  
 20 sed <te> quod propter diligit, illud amat. (vers lacuneux)

## DE PASSERE.

E1\_73 v.1 Frigora quid faciunt boreali pressa tumultu,  
 2 quid glacies nitidum cum tegit alta solum,  
 3 quid jejuna fames, vacui quid corporis ardor  
 4 et vacui longo tempore ventris amor !  
 5 Non laqueis captus, non aucupis arte magistri,  
 6 silvestrem solitus passer habere domum,  
 7 nomine sub proprio, propria sub voce rogatus,  
 8 ad positam currit qua patet esca manum  
 9 grana sinu placido deducit condita rostro  
 10 et domini sitiens mitis in ore bibit.  
 11 Stat, fugit, alta petit, descendit ad ima protervus,  
 12 veste latens, tenui murmure dulce canit.  
 13 Hunc si lascivi vidisset amica Catulli,  
 14 non deflevisset funera maesta sui.

## DE JULIO PONTANO.

E1\_74 v.1 Optavi toto jam dudum pectore vultus  
 2 fingeret ut docta Julius arte meus ;  
 3 sed timui pictus vero ne verior essem  
 4 falleret atque oculos ne mea forma meos,  
 5 picturam ne quisque meam sequeretur, amaret,  
 6 posceret et corpus crederet esse meum.  
 7 Et me picturam veluti spectaret inanem  
 8 diceret : "O utinam posset et ista loqui".  
 9 Non volo picturam qui me facit esse magistrum,  
 10 sed volo picturam qui facit esse meam.

## DE EODEM.

E1\_75 v.1 Qui blandas potuit mortes, qui gaudia saeva  
 2 linquere consilii callidus arte sui,  
 3 dulcia cantantes quae carmina saepe sorores  
 4 obvertunt captas sub freta nigra rates,  
 5 Pontani citharae teneri si carmen, Ulyxes,  
 6 sensisset, fidibus cum trahit arma suis,  
 7 cum scopulos et saxa movet, cum flumina sistit,

8 vidisset numquam conjugis ora suae,  
 9 vellet in aequoreas sed se cecidisse procellas  
 10 ob tam dulcisonae dulcia fila lyrae.

JULIO CAMPAGNOLAE.

E1\_76 v.1 Salve, deliciae jocique matris,  
 2 Juli candide, corculum parentis,  
 3 Juli blandior omnibus petulcis,  
 4 Juli castior omnibus pudicis,  
 5 cui Phoebus citharam dedit sonoram  
 6 vatem Threicium Linumque rursus  
 7 doctus Pieridum chorus videret,  
 8 quo vel Delphica dona vel decorem  
 9 ferrent templa suum vagusque delphin  
 10 essent quae sequeretur ora. Primis  
 11 annis qui rigidum gravis Catonem  
 12 aequas et Curium severitate,  
 13 blandas te rogo fer preces parenti,  
 14 blandas sentiat et preces eburna  
 15 gestat pro duce sceptrum qui potente,  
 16 ut caeco juvenem trahant barathro  
 17 nullo crimine qui miser tenetur.  
 18 Quod, si tale tibi negare munus  
 19 injusti poterunt, lyrae sonora  
 20 plectro fila movens fores Averni  
 21 clausas ante canas : videbis illas  
 22 et rapta subito fera, patere,  
 23 sese frangere vincula et sequi te.  
 24 Custodesque reos simulque posses  
 25 umbras nam Stygiis vocare ab antris.

HIERONYMO CAMPAGNOLAE.

E1\_77 v.1 Fata si ducunt homines sub orbe,  
 2 tollitur quisquis superas ad auras  
 3 cogitur certo ordine si caducam  
 4 ducere vitam ;  
 5 si suo scripsit genitor deorum  
 6 antequam primus traheretur annus  
 7 quae jubens semper fieri volebat  
 8 cuncta libello,  
 9 hinc ferae caedes, rapidi tumultus,  
 10 bella fraternis violenta telis,  
 11 hinc Numae numen, Marii, Neronis  
 12 hinc fera corda,  
 13 Caesaris laudes, decus et triumphum,  
 14 clara victoris probitas Camilli,  
 15 strenui multo Fabii probata  
 16 hinc mora versu.  
 17 Si quis iratus ferit ense fratrem,  
 18 si quis insontem socium veneno  
 19 perdit, hoc caelum peperit protervum  
 20 non scelus ille.  
 21 Occidunt caeli, rapiunt, minantur,  
 22 saeviant, stuprant, spoliant, trahuntque,



23 sunt feri, tristes, miseri, profani  
 24 sunt et avari.  
 25 Quod jubent ipsi fieri necesse est,  
 26 ergo duc caecis juvenem cavernis  
 27 quem notant nullis maculis colores  
 28 criminis atri.

## AD PICTOREM.

E1\_78 v.1 Quisquis pictorem credit te fallitur umbro  
 2 et caeleste tuum non bene noscit opus :  
 3 qui pingit pictas merito quas credere formas  
 4 fas est pictoris nomina pictor habet.  
 5 Quas formas cernunt oculi, quam pingis imago  
 6 et si non moveat se movet illa tamen ;  
 7 immotis graditur pedibus, canit ore silenti,  
 8 audit, agit, loquitur, annuit, odit, amat.  
 9 Quod generas igitur credis dum pingere, non tu  
 10 nomina pictoris, sed genitoris habes.

## JACOBO COMITI JULIARIO.

E1\_79 v.1 Insanum forsam, forsam sine mente vocabunt  
 2 me vates, quoniam carmina mitto tibi  
 3 cui jam tota biceps credit mons culmina, vel quo  
 4 nullus Hyanteas largius haurit aquas.  
 5 Si superat Philomela canens Atlantida, debet  
 6 non tamen haec cantus ore tacere suos.  
 7 Et picam cantare decet, placet atque canendo  
 8 psittacus et quamvis non bene dicat "ave".  
 9 Argento fateor fulvum pretiosius aurum est,  
 10 est tamen argenti qui quoque poscat opes.  
 11 Numquid post Tyrias vestes, post serica, Parmae  
 12 qui capit intextas spernitur ille togas ?  
 13 Quamvis possideant urbes et regna, tyranni  
 14 jugera parva tamen si dabis, accipient.

## ANTONIO CABALLO.

E1\_80 v.1 Quod petis, Antoni, dominae subsellia vallis  
 2 tinnula qua Bacchi saepius aera crepant,  
 3 per quam virgineis ludens Dictynna choreis  
 4 currit et in saevas dirigit arma feras ;  
 5 Phoebus agit Musas Ephyres de collibus altis  
 6 et movet argutae lesbica fila lyrae,  
 7 non decus egregium facit hoc, non gloria gentis,  
 8 non Athesis placidi deliciosus amor,  
 9 structa nec Oebalio fulgent quae marmore tecta,  
 10 innumeri nec quos dat tibi Parma greges,  
 11 lana Tarentino nec quae fucatur aeno,  
 12 stragula, quadrupedes, pascua, servus, ager.  
 13 Sed quoniam castas celebrare sorores  
 14 nosis et intactae mystica sacra deae  
 15 denique junguntur similes erit incluta felix  
 16 virgineo vallis praeside virginea.

## LIBER SECUNDUS.

## PARIDI CAESAREO.

E2\_1 v.1 Ora Medusaeis spectans crinita colubris  
 2 in saxum versus ne liber hic rigeat,  
 3 exue bellisonum doctae thoraca Minervae  
 4 et mea palladia carmina veste tege ;  
 5 aegide vel foveas : haec aegide scripta fovebis,  
 6 ire superba tuo si sinis auspicio.  
 7 "Haec bona sunt" dicent omnes "Paris ista probavit,  
 8 iudice quo Pallas est pulchrior Venere".

## IN PARIM CAESAREUM.

E2\_2 v.1 Quas metit Phariis segetes Memphiticus arvis,  
 2 incola, cum tibi dent jugera culta, Paris,  
 3 largaque Fundanis spargat vindemia labris  
 4 Campanique ferant dulcia musta cadu,  
 5 pressa Venafrani sub pondere bacca trapeti  
 6 impleat et suco plurima vasa suo,  
 7 det tibi pulchra Tyros, det vellera clara Tarentum  
 8 Parmaque non vili Gallica mittat ove,  
 9 possideas aurum, gemmas, chrysendeta, mensas  
 10 quaeque gerit Ganges munera, quaeque Tagus,  
 11 et studeas duro montem superare labore,  
 12 Bellerophontei quem rigat unda lacus,  
 13 et caeli causas et noscere fata deorum  
 14 Phoebaeos motus tergeminumque Jovem,  
 15 laudandus vere es : facile est qui paupere mensa  
 16 cenat et angusti tecta colit tuguri  
 17 assuetus mala cuncta pati virtutis amore,  
 18 ferre sitim longam vel tolerare famem  
 19 et decus et laudes et clarae praemia famae  
 20 quaerere, divitibus quaerere difficile est.

## PARIDI CAESARIO.

E2\_3 v.1 Si te discordes peterent Venus aurea, Pallas  
 2 et Juno ut Phrygium jam petiere Parim,  
 3 non tu promissae corruptus amore puellae  
 4 praestares Cnidiae munera fulva deae,  
 5 bellica Gorgoneos sed quae gerit aegida vultus  
 6 solaque Cirrhaei quae bibit amne lacus,  
 7 praeponens sceleri decus immortale sacrumque.  
 8 Qui facit hoc merito dicitur ille Paris.

## PARIDI CAESARIO.

E2\_4 v.1 Possidet arva Paris numero sine pingua ; quid tum ?  
 2 Triptolemi multos fertile munus alit.  
 3 Dulce legit nectar superantia Massica ; quid tum ?  
 4 Post illum multi Bacchica dona legunt.  
 5 Fert vestes Tyrio fucatas murice ; quid tum ?  
 6 Purpura plebeios nunc pretiosa tegit.  
 7 It Scyticis nitidus gemmis et iaspide ; quid tum ?  
 8 Tonsor habet gemmas et coqus et lanus.  
 9 Plectra senis docti doctus movet aurea ; quid tum ?  
 10 Cum Phoebos vates Gorgonis arva colit.  
 11 Noscit Aristotelis divini dogmata ; quid tum ?  
 12 Illum Socratica Mantua laude probat.  
 13 Octipedis cancri describit sidera ; quid tum ?  
 14 Hunc celebrat solum Mincius astrologum.  
 15 Cum multis hunc esse virum splendor facit auri,  
 16 cum paucis Phoebi munera semideum.

## EIDEM.

E2\_5 v.1 Mantua laetatur gemino nunc munere : Martis  
 2 pectore belligeri, Pallados ingenio.  
 3 Illud Turcus habet Latii spes unica regni,  
 4 hoc Paris Ausonii fama decusque fori.

## EIDEM.

E2\_6 v.1 Formosam rapuit Paris puellam  
 2 Grais Iliacus. Paris disertum  
 3 sermonem rapuit meus : rapina  
 4 haec est incluta, nobilis, superba.  
 5 Namque illa ut patriae dedit ruinam,  
 6 haec clarum patriae dabit triumphum.

## ANTONIO LAUREDANO.

E2\_7 v.1 Immerito caeli quod sit grave vulnus ab axe  
 2 limina sidereo sub Stygis atra trahi,  
 3 sedibus et summis crudeli sub loca ferri  
 4 sorte quibus populi sordida turba sedet,  
 5 Antoni, nosis, Latiae cui plectra Minervae  
 6 prima Medusaeo de grege Musa dedit,  
 7 et dulcem volucer citharam Tegeaeus, Apollo  
 8 cui propria tribuit laurea sarta manus,  
 9 cui patet Arctophylax, Serpens Geminique Lacones  
 10 inter et oppositos sidera quaeque polos,  
 11 tergemini qui fata Jovis, qui saecula cernis  
 12 et quae perpetua foedera lege manent ;  
 13 et tamen expulsus patria sine labe fuisti  
 14 cujus eras tutor sedulus, immo pater ;  
 15 quo faveas miseris, postquam fortuna serenis  
 16 te nunc luminibus prospicit atque fovet.  
 17 Falcifer, ut nosti, miles fortissimus, acer,  
 18 Pallados armisonae gloria, Martis amor

19 jam fuit imperio vestri sine crimine regis  
 20 privatus sanctae munere militiae.  
 21 Tranquillae placido voluit sub tempore pacis  
 22 nec tamen intactam contemerare fidem  
 23 nec ducis alterius scribi sub foedere. Tellus  
 24 sed quia nunc sparso sanguine tota rubet,  
 25 et Bellona furit, juratas ferre cohortes  
 26 inter fulva petit quae movet arma Leo  
 27 et vestro sub rege mori. Celebretur, ametur,  
 28 munera dent illi plebsque patresque simul.  
 29 Arma gerat rursus, jubet hoc lex Martia ; belli  
 30 tempore nam solus qui petit arma, petit.

DE MORTE ANGELI POLITIANI.

E2\_8 v.1 Quo cecidit fato nostri decus Angelus aevi  
 2 gentis et Etruscae gloria, scire cupis ?  
 3 Ictericici non hunc labes tristissima morbi  
 4 febris ad Elysias vel tulit atra domos,  
 5 non inflans humor pectus, non horrida bilis  
 6 mortiferae pestis denique nulla lues.  
 7 Sed quoniam rigidas ducebat montibus ornos,  
 8 frangebatur scopulos, decipiebat aves,  
 9 mulcebat tigres, sistebatur flumina cantu  
 10 plectra movens plectro dulcius Ismario,  
 11 "Non plus Threicium laudabunt Orphea gentes"  
 12 Calliope dixit, dixit Apollo "Linum,  
 13 jamque tacet nostrum rupes Heliconia nomen"  
 14 et simul hunc gladio supposuere necis.  
 15 Mors tamen haec illi vita est ; nam gloria magna  
 16 invidia Phoebi Calliopesque mori est.

DE MORTE JOANNI PICI MIRANDULAE.

E2\_9 v.1 Picus amor Phoebi, cui se concesserat omnis  
 2 Permessi liquido quae dea fonte bibit,  
 3 cui totam Pallas dederat se, sacra verendi  
 4 jussaque facundo qui Jovis ore refert,  
 5 aurea sex lustris migravit ad astra peractis,  
 6 jussissent illum non quia fata mori,  
 7 sed quia natus erat Phoebes disceret artes  
 8 ut tantum summa cur deus arce tonat,  
 9 cur densae glomerantur aquae glacialibus oris,  
 10 cur riget aeterno frigida bruma gelu,  
 11 sidereus rapido cursu cur volvitur axis,  
 12 cur colit arctoum Parrhasis ursa polum,  
 13 sidera quod firmet pondus, jubet illa moveri  
 14 quae virtus, superis tecta quis alta dedit,  
 15 quid mare sit, quid sit tellus, quid lucidus aer,  
 16 flammea vis semper cur loca summa petit,  
 17 quid Deus est, causae cunctarum denique rerum  
 18 noverat, et quantum noscere quisque potest  
 19 et genus humanum patitur. Super astra rogavit  
 20 ire gravi linquens sub grave corpus humo.  
 21 Mortuus est igitur poterat plus vivere Picus  
 22 non quia, sed quia plus discere non poterat.

## DE EODEM.

E2\_10 v.1 Multifores frangit calamos flens Attica Pallas,  
 2 frangit Hyantaeam maesta Thalia lyram,  
 3 innuptas Phoebus laurus radicibus imis  
 4 evellit, myrtum dissipat alma Venus,  
 5 pampineas Bacchus vites hederasque sequaces,  
 6 blanda poetarum munera, falce secat ;  
 7 turritam posuit Cybele lacrimosa querelam,  
 8 astriferam posuit Juppiter ipse suam.  
 9 Ignoras causam ? Musarum gloria, Phoebi  
 10 spes, Cybeles lumen, Pallados atque Jovis  
 11 et Bacchi et Veneris numen, sub tempore Picus  
 12 maturo nondum corpus inane jacet.  
 13 Musa jacet quaecumque, jacet Venus alma, deorum  
 14 Rex, Cybeles, Bacchus, Pallas, Apollo jacent.

## DE MORTE GEORGII MERULAE.

E2\_11 v.1 Discite virtutem, juvenes ; namsola beatos  
 2 nos facit et dirae non timet arma necis,  
 3 fortunaeve minas aut saevi spicula fati,  
 4 quaeque facit tremula curva senecta manu.  
 5 Verba fidem capiunt nunc ista : Georgius ille,  
 6 ille decus Latii deliciaeque fori,  
 7 Pallados Ausoniae spes unica, fama sororum  
 8 inclyta, rugoso jam gravis ore senex,  
 9 florebat claris juvenis virtutibus ; auri  
 10 pauper et auratas dives habebat opes.  
 11 Sortis et insane fluctu jactatus iniquo  
 12 clauserat immota sub statione ratem,  
 13 et nunc post clausum funus manesque sepultos,  
 14 vivus agit vitae tempora laeta novae.  
 15 Qui virtute nitet longis jam debilis annis,  
 16 pauper et infelix et tumulatus humo,  
 17 laudibus immodicis longis non debilis annis,  
 18 pauper et infelix et tumulatus humo est.

## DOLET NIMIS PERTINACITER AB AMORE VEXARI MORTALES.

E2\_12 v.1 Horam temporis haud beatus unam  
 2 candenti valeo notare gemma.  
 3 Jactatus variis, miser, procellis  
 4 huc illuc, veluti levis carina  
 5 ventos cum tumida ferus caverna  
 6 cunctos Aeolus impulit furentes.  
 7 Pulsat me Venus impudica caesto,  
 8 exurit calidis proterva flammis,  
 9 astringit laqueo, fodit sagitta,  
 10 tundit, dilacerat, quatit trahitque.  
 11 Si silvas peto, poscit illa silvas,  
 12 si fontem, liquidas natat per undas,  
 13 si pontum, levat et premit rudentes,  
 14 temonem moderatur et gubernat,

15 si Martem sequor, induit cruentam  
 16 loricam, caput horridum Medusae.  
 17 Semper denique quo gravi dolore  
 18 cogar ducere fletibusque vitam  
 19 ingratham miseris, it et moratur  
 20 quo gressus ago, qua moror vel ora.

ADMIRATUR VARIAS CUPIDINIS VICES.

E2\_13 v.1 Dulcia si Cnidiae Veneris sunt spicula, cur est  
 2 creditur ut tantum semper amarus Amor ?  
 3 Si pietate nitet clemens, violentus et acer  
 4 dicitur a multis cur sine lege viris ?  
 5 Mente fidem servans stabili, cur perfidus ? Auri  
 6 largus et auratas an sibi servat opes ?  
 7 Saevus corda ferit jaculo si, ducere vitam  
 8 qualiter intactam dilacerata queunt ?  
 9 O nectar tristi commixtum dulce veneno,  
 10 spes sine spe, multis gaudia juncta malis !  
 11 Mutat amans varias sedes et tempore parvo  
 12 exsultat, ridet, flet, canit, odit, amat.

IN AMICAM.

E2\_14 v.1 Numquid, deliciae meae, puella  
 2 te clemens pietas movebit umquam  
 3 ut non, ferrea, me trahas misellum  
 4 in flammis sine fine saevientes ?  
 5 Ostendis faciem mihi decoram,  
 6 pectus candidulum, comas nitentes,  
 7 qui fulgent oculos magis vel axe  
 8 caelesti, colit alta cum juvenci  
 9 Phoebus cornua vel casam Laconum.  
 10 Sed spectacula non gerunt salutem  
 11 haec nobis, juvat haud parum videre  
 12 fontem si nequeo sitim levare.  
 13 Mercator mare sedulus per altum  
 14 non aurum petit, Indicasve gemmas,  
 15 ut tantum videat, nitore laetus,  
 16 aurum quo capiat sed et lapillos.

IN DINDYMUM.

E2\_15 v.1 Cur lacrimas spargis, voces cur fundis inanes,  
 2 est tua quod multis uxor amica viris ?  
 3 Desine tristari : Veneris timet illa pharetram  
 4 nec vult caelestes laedere, sancta, deos.  
 5 Est hilaris, clemens, mitis, jucunda, cruorem  
 6 non amat, insidias negligit atque dolos.  
 7 Si quae forte tuo non est defossa ligone,  
 8 vinea det plenis dulcia musta cadis,  
 9 non capies, laetas alio si vomere fruges  
 10 tempore maturo vel tua rura dabunt ?  
 11 Implebit thalamos natis, te magna nepotum  
 12 blanditiis ludens turba vocabit avum.

13 Munera quae veniunt non magno parta labore,  
14 quam pretiosa magis, tam magis illa placent.

## AD VENEREM.

E2\_16 v.1 Si spuma maris es Venus creata  
2 frigentis, velut in suis libellis  
3 scribunt historici, canunt poetae,  
4 uris qualiter ore quicquid afflas,  
5 ut gramen leve, pineasve taedas  
6 sulfur Sicaniis focus vel antris ?  
7 An flammae gelidis manent sub undis,  
8 nix illas fovet aut liquore denso ?  
9 Et cur, marmore durior fodit quod  
10 saevus Dalmata, semper es proterva  
11 si molles, liquidae, leves, tenellae  
12 sunt undae ? Suboli tuae repugnas ;  
13 numquid concha Erycina quae tulit te  
14 silvas Idalias ad et Cythera  
15 testae duritiem tuo maligne  
16 fixit pectore, sanguis et parentis  
17 ardebat crepitantibus favillis ?  
18 Ah quanto melius, benigna, mitis  
19 existens, nitido reges honore  
20 quicquid spectat Eryx, Cnidos Paphosque !  
21 Rex gaudet, regit, imperat beatus ;  
22 flet, saevit, timet, angitur tyrannus.

## DE CONFESSIOE SYLVIAE.

E2\_17 v.1 Diceret omne scelus sacro cum nostra ministro  
2 Sylvia, demisso qui tegit ora sago,  
3 qui sua nodoso circumdat corpora loro,  
4 qui gerit intecto concava ligna pede,  
5 non Cereri fruges, Baccho non vina, dedisse,  
6 non Dryadum placidis florida sarta choris,  
7 vicini rapuisse pecus, mulsisse juvencas,  
8 suppositas multa vite tulisse sudas,  
9 legisse ex alio pullos atque ova cubili,  
10 ille illi : "Virgo, dic mihi, numquid amas ?"  
11 "Vivit amor nostro semper sub pectore, semper  
12 ante sacros jaceo victima grata focos.  
13 Nec mihi libertas cara est, servire laboro  
14 hoc ego nec crimen nec scelus esse puto."  
15 Respondit : "Scelus est fructus quo parturit arbor,  
16 quo segetes gignunt jugera culta suas,  
17 quo vestitur humus, generant animalia, summus  
18 denique quod jussit qui colit astra Deus ?  
19 Si quis amans peccat, justum est odisse ; sed odit  
20 qui quoniam peccat, non amor est vitium."  
21 Vir sacer ille lapis stetit ut vix mobilis atque :  
22 "Me vincis, fateor, Sylvia", dixit, "ama."  
23 Quaeque puella suo Cicerone disertior ore  
24 verba dabit Veneris, quae pia castra colet.

## ILLUSTRISSIMO HERMETI.

E2\_18 v.1 Si mihi fata dabunt maturae tempora vitae  
 2 tangere, si fieri sidera laeta senem,  
 3 tunc tua gesta, tuos, princeps invicte, triumphos  
 4 carminibus Latiis Cecropiisque canam.  
 5 Teque Palestina modulabor arundine, quamvis  
 6 nec potero laudes tunc quoque ferre tuas.  
 7 Ingenium superas vatum, vix dicere posset  
 8 et decus et mores Cynthus ipse tuos.  
 9 Nam pius es, clemens, facundus, fortis et acer,  
 10 strenuus, ingenio vir gravis, ore puer.  
 11 Denique quem deceant Martis duo tela cruenti,  
 12 robur avi patris vimque decusque tui.  
 13 Sed tamen enitar, tibi cor cape pignus amoris.  
 14 Sed mare quis parvo claudere vase potest ?

## EIDEM.

E2\_19 v.1 O ducis invicti frater, quem bellica Pallas  
 2 uno donavit Gorgonis angue comae,  
 3 qui, cum letifero turbatus sibilat ore,  
 4 Thrax timet, Illyricus, Celta, Sicamber, Arabs,  
 5 Itala regna tremunt, formidat denique totus  
 6 orbis et indomitos Mars ciet acer equos.  
 7 Te furor et belli rabies cecidere, quod atrum  
 8 jam jam tollebat saeva per arma caput.  
 9 Quis dubitat ? Veneti religasti regna leonis,  
 10 imperio fratris semper amica tui.  
 11 Pax erit et placidae capientur munera vitae.  
 12 Gramina bos carpet, gramina carpet ovis ;  
 13 non spes agricolas fallat, non milite saevo  
 14 virgineum perdet rapta puella decus.  
 15 Non lacrimis natum genetrix pia sparget ademptum,  
 16 frigida non fratris corpora maesta soror,  
 17 non concussa cadent ballistae verbere tecta.  
 18 Denique te vivet femina virque duce.  
 19 Qui nobis firmas, Hermes, sub tempore primo  
 20 ore tuo pacis foedera sancta piae,  
 21 Augusti latum tribuent tibi numina regnum.  
 22 Virtutis splendor denotat ista tuae.

## GALESIO NICHESOLE.

E2\_20 v.1 Aegoceros gelidam nimbis nunc imbuit urnam,  
 2 horret et Arctoo frigida bruma gelu,  
 3 stringuntur pluviae densos glomerantur in orbes,  
 4 nix cadit et glacie prata lacusque rigent,  
 5 saepibus exustis tacitas fringuilla querelas  
 6 murmurat, in stabulis clauditur omne pecus,  
 7 vix faciunt thalami tutos nos frigore clausi,  
 8 vix ingens Boreae servat ab ore focus ;  
 9 et petis ut veniam, cum sit mihi paenula qualem,  
 10 cum peragit ludos, cercopithecus habet,  
 11 et qualem pictas collo qui naufragus undas  
 12 sustinet amissas ut prece quaerat opes,



13 quam Syrus Etruscos cum vomere scindit agellos,  
 14 gestat Aricinae quamque rogator aquae,  
 15 quam qui permutat fractis sua sulfura vasis,  
 16 qui tepidum populo vendit et asse cicer.  
 17 Non veniam : credis tibi me promissa negare ?  
 18 Falleris : ille negat qui sine jure negat.

## DE CUPIDINE.

E2\_21 v.1 In nos si tantum possunt tua tela, Cupido,  
 2 sub virtute tua si cadit omne quod est,  
 3 si superare Jovem potuisti juribus ipsum,  
 4 si cecidit telis victus Apollo tuis,  
 5 spicula si Martis cedunt tibi victa sagittis,  
 6 dic cur insidiis uteris atque dolis ?  
 7 An quia tela joci tua sunt et spicula fraudes ?  
 8 An quia fraude tua saucia corda facis ?  
 9 Incautos cautus superans, armatus inermes  
 10 an quia vi fortis doctus et arte vales ?  
 11 Credimus hoc : sed cur laqueos et retia gestas ?  
 12 Non decet armatum vincula ferre ducem,  
 13 venator gerat haec : ridet Mars, ridet Apollo  
 14 cum cernunt manibus talia vincla tuis.  
 15 Quo vel ad arma tuis venias fortissimus armis,  
 16 et spernas fraudes inclytus atque dolos,  
 17 et tibi, quod fas est, laqueos et retia ponas ;  
 18 negliget aut sceptrum femina virque tuum.  
 19 Qui virtute valet, valet et praestantibus armis  
 20 non opus est fraudes insidiasque sequi.

## IN MARCUM ANTONIUM MAUROCENUM.

E2\_22 v.1 Non tauros mactare licet laetasque bidentes,  
 2 mascula odoratis non dare tura focus,  
 3 ut tibi dii faveant, placidam dum conspicias urbem  
 4 quae te praetorem gaudet habere suum.  
 5 Non opus est tepido quod viscere spectet haruspex,  
 6 quo fortunatae sint tibi, Marce, viae,  
 7 quod servet volucrum cantus, servetque volatus  
 8 augur ; agunt nullae nam tibi munus aves,  
 9 tu non augurio, tu non es subditus astris.  
 10 Nec sacra crinitus pro Jove Phoebus agit.  
 11 Ista viri faciunt, satis est pro numine numen  
 12 ponere : nunc nullus te negat esse deum.

## PRO ARCE ROVERETI.

E2\_23 v.1 Qui Capitolinae jam moenia fecerat arcis,  
 2 hoc factum fieri posse negabat opus ;  
 3 Mausoli clarum qui struxerat ante sepulcrum,  
 4 hoc factum fieri posse negabat opus ;  
 5 pyramidum doctos qui vicerat arte magistros,  
 6 hoc factum fieri posse negabat opus.  
 7 Sed tamen hanc arcem Contrina prole Jacobus  
 8 fecit et egregiae condidit artis ope.

9 Namque caput medio tollit de marmore, duros  
 10 firmant in medio marmore dura pedes.  
 11 Marmoreos miles thalamos colit atque satelles,  
 12 marmoreos socii marmoreosque duces.  
 13 Sunt triplices valvae, triplices sunt ordine muri  
 14 rideat ut sospes quisquis in arce sedet.  
 15 Non aries fortis, non huic balearica plumbum  
 16 invictae torquens funda nocere potest.  
 17 Inclytus hic vere est : nam quae natura negabat,  
 18 nec fieri poterat, nobile fecit opus.

MARCO ANTONIO MAUROCENO.

E2\_24 v.1 Non quas mittit Arabs, non quas Panchaia tellus,  
 2 non quas Aethiopum Cappadocumque domus,  
 3 non quot Pactoli de flava munus arena  
 4 divitias Croesi Lydia tota legit,  
 5 non quae Carpathio nascuntur gurgite conchae,  
 6 non quas Eoi litora Gangis habent,  
 7 ut teneas fragili credis te, Marce, carinae,  
 8 impatiens Scythicae frigora ferre nivis,  
 9 quique Borysthenia ventum furit improbus Arcto,  
 10 quique sub opposito concutit arce polo ;  
 11 sed quae Cecropiis sunt condita versibus et quod  
 12 Romanum docuit lingua diserta sophos,  
 13 saepe legis. Merces haec sunt et dona Sororum,  
 14 quas non Arctophylax, nec Cynosura regunt.  
 15 Nobilis es vere ; nam circum nobile tantum  
 16 mens tua versatur candida semper opus.  
 17 Sic portans merces intrat de jure senatum,  
 18 ut de jure sedet curvus arator eques.

EIDEM.

E2\_25 v.1 Miraris forsan numerosos condere versus  
 2 me quoque, Phoebam tangere saepe lyram.  
 3 Juppiter et Pallas, Phoebi doctaeque sorores  
 4 talia non possent munera ferre mihi.  
 5 Quod natura jubet, quod candida <femina> formae (vers lacuneux)  
 6 utere muneribus, utere sorte tuae.

PETRO BRAVO DE DIE NATALI.

E2\_26 v.1 Luciferi redeunt semper celebranda decembris  
 2 tempora, natalis lux redit alma Jovis.  
 3 Ante fuit semper, magni qui conditor orbis,  
 4 nascetur ; pariet filia casta patrem ;  
 5 induet humanae spoliolum miserabile formae  
 6 ut torvo Stygii liberet ore canis.  
 7 Jam fas est taceant vadimonia, jurgia, lites,  
 8 atque suburrani garrula turba fori,  
 9 cerdones, lanii, tonsor, ludique magister,  
 10 ictibus et crebris qui ferit aera faber ;  
 11 et quos, Petre, tibi misit Nilotica tellus,  
 12 accipiat calamos scortea theca suos.

13 Sancta sacerdotes modulantur carmina nostri,  
 14 ite procul Satyri, Maenades ite procul.  
 15 Ebria non nobis tigris, non sordida vino  
 16 Thyas et anguigero gens fera crine placet.  
 17 Victima caesa litet, cumulentur honoribus arae.  
 18 Suspendat picto munera quisque tholo.  
 19 Post sacra, postque preces, post plurima dona deorum,  
 20 damno certet cum cane pulchra Venus,  
 21 et resonent moto tali, vel jacta fritillo  
 22 tessara quo vitreo calculus hoste cadat.  
 23 Qui coluere Jovis lucem, docuere priores  
 24 natalis Christi nos celebrare diem.

## VIRGILIO ZAVARISIO.

E2\_27 v.1 Numquid Caucaseas adhuc salebras,  
 2 et raucae scopulos feros Maleae,  
 3 et quae marmora Dalmata revellunt  
 4 celsis rupibus arduis vel antris,  
 5 quae dat Synnada, quae gerit Carystos,  
 6 quae Scyron colit, (et) preces benignas  
 7 promens pectore, Virgili, protervo  
 8 traxisti, juvenis ? Notare sub te  
 9 qui juris calamo severiore  
 10 res sacras didicit, diem Liburnus  
 11 cum dicit Gabio, vocatur in jus  
 12 cum tristis reus audit et senatus  
 13 Messalae lepidi, gravis Severi  
 14 sermonem, tacitus jubet tribunus  
 15 plebem solvere crimen hoc et actis  
 16 inscribi ; levis hunc tenebat ira  
 17 quem solvit populi pius magister  
 18 quod, si stat veluti silex procellis  
 19 aut turris levibus superba ventis,  
 20 impellas citharae fides canorae  
 21 plectro quo lapides soles movere,  
 22 quercus ducere montium per arces,  
 23 cursus sistere fluminum, leones,  
 24 pantheras, jaculos, lupos, bisontes  
 25 mulcere, excutiet sonus malignam  
 26 dulcis saevitiem, potest metallum  
 27 durum frangere ; namque qui resolvet  
 28 in partes lapidem, licet sit asper  
 29 et durus nimis et nimis molestus.

## PHILOMUSIO VATI.

E2\_28 v.1 Si peterem nummos pretiosaque vasa Corinthi,  
 2 quas quoque dat vestes luxuriosa Tyros,  
 3 deberes vestes pretiosaque vasa Corinthi  
 4 et mihi purpureae mittere dona togae.  
 5 Foedus amicitiae jubet hoc. Jubet augur Apollo  
 6 cultores gemini verticis esse pios.  
 7 Nunc, cum verba petam, dic qua ratione negare  
 8 illa potes. Dices : "Et tibi verba dabo."  
 9 An mihi respondes sic ? Non mihi te dare vates

10            verba peto, pro me verba referre peto.

IN SAEVISSIMOS LATRONES NOGARIAE.

E2\_29    v.1    Ut tria latrones raperent sestertia saevi,  
           2            securum gladiis diripuere virum,  
           3    moenia saxosi qui solus ab arce Tridenti  
           4            quaerebat, misero non bene visa Remo.  
           5    Nox erat ; hoc tantum facinus, miserabile, saevum,  
           6            taxatum summa non fuit invidia.  
           7    Namque die crimen factum si tale fuisset,  
           8            sub Styga conversis Phoebus abisset equis.

IN EOSDEM.

E2\_30    v.1    Per nemora et montes securus perge viator,  
           2            arma times saevi ni truculenta lupi.  
           3    Non plus latro colit silvas ; per rura, per agros  
           4            accumulatur raptas sanguinolentus opes.  
           5    Fert clipeum messor, galeam, thoraca, sagittas,  
           6            induit et pictam miles ut ipse togam.  
           7    Carpe, viator, iter cautus per rura, per agros,  
           8            saevius agresti milite nam nihil est.

DE NOMINE NOGARIAE.

E2\_31    v.1    Infaustum posuit tibi, saeva Nogaria, nomen  
           2            qui dudum vates maximus ille fuit.  
           3    Nam si tunc precibus sanctis delubra colebas  
           4            atque dabas summo mascula tura Jovi,  
           5    te sceleri cumulare scelus te nigra videbat,  
           6            praecipites Erebi ferre sub antra gradus.  
           7    Implesti nomen, mortales perfida mactas  
           8            insontes, miseris ut lupus acer oves.  
           9    Nomine reque nocet, caveas tamen improba ; nam qui  
          10            sic nocet et sibimet est opus ut noceat.

DE MORTE FRANCISCI CRASSI.

E2\_32    v.1    Multa senem fugerent Crassum ne commoda, vultu  
           2            cogeret atque alio sors mala multa pati,  
           3    mors juvenem rapuit ; rapuisset quae fera si sic  
           4            Pompeium coleret non socer astra deus.

EJUSDEM.

E2\_33    v.1    Dux cecidit victi Crassus post funera belli,  
           2            aeternum nomen Crassus ad astra tulit.  
           3    Nam, victor moriens, cum plus non possit ab hoste  
           4            vinci, perpetuae nomina laudis habet.

## AD BARTHOLOMEUM BRANZONUM.

E2\_34 v.1 Bartholomaeus, decus clarum quo forma superbit  
 2 tam bene pictus habes cum bene vivus habes.  
 3 Lumen inest oculis picturae quale sereno  
 4 splendet Phoebis aethere luminibus,  
 5 purpura lacque genis, fulvum sub crinibus aurum,  
 6 pectus ebur pingit, collaque labra rosae.  
 7 "Non loquitur", dices. Dabit et natura loquellam ;  
 8 namque modus rerum quod petit illa facit.  
 9 Ore, oculis vivens, vivas ut voce necesse est.  
 10 Vivere sic potuit Pygmalionis opus.

## DE PUERO MIRA ARTE PICTO.

E2\_35 v.1 Da puero vocem picto natura, magistras  
 2 tollat ut artificis candida fama manus !  
 3 Nec fieri timeas portentum, picta loquetur  
 4 non facies : nam cum te duce verba dare  
 5 incipiet pictam tunc desinet esse ; videtur  
 6 hoc tantum quoniam picta quod ore tacet.

## DE EODEM.

E2\_36 v.1 Aut ars naturae pingit nunc juncta potenti,  
 2 aut hoc naturae dextera fecit opus.  
 3 Nam tantum vario faciemque manusque colore  
 4 quae formare potest, non generare potest.

## IN CAECULUM.

E2\_37 v.1 Quam pius in fratrem Gallus, quam frater in illum,  
 2 Dindyme, sit, versus hos lege, certus eris.  
 3 Frater habet mensas dives quas Gallus eburnas,  
 4 quae frater dives jugera Gallus habet ;  
 5 fulva dedit fratri Gallus chrysendeta : frater  
 6 tradidit auratas, Galle, tibi pateras.  
 7 Vestibus utuntur paribus, domus una, supellex  
 8 una illis, gemino corpore mens eadem.  
 9 Quod ne concordēs animos vis distrahat ulla,  
 10 conjuge de fratris pignora Gallus habet.

## DE EODEM.

E2\_38 v.1 Historias omnes et sacra poemata vatū  
 2 assidua si quis sedulitate legat,  
 3 non tamen inveniet tanto pietatis amore  
 4 quae jungant fratres vincula sancta duos  
 5 quanto se Gallo conjunxit Caeculus. Hector  
 6 nam pro fratre suo si ferus arma tulit  
 7 afflixit Graecos omnes et saepius illi  
 8 dilectam tribuit non tamen Andromachen.

## DE EODEM.

E2\_39 v.1 Caeculus ut Coo pingatur Apelle meretur  
 2 in tabula laudis clara tropaea suae :  
 3 gesta quibus superat magnorum maxima regum.  
 4 Non tamen ut tulerit Pallados arma ferae  
 5 struxerit aut Pario sublimia marmore tecta,  
 6 vexerit aut plena fulva metalla rate,  
 7 conjugis at fratri cessit quia foedera Gallo.  
 8 Hoc Syriae regem tollit ad astra decus.

## DE EODEM.

E2\_40 v.1 Obliquo ponas fratres quos Juppiter axe,  
 2 per quem flammiferas ducit Apollo faces,  
 3 sunt gemini, Ladae soboli jungenda propago.  
 4 Nam velut alternis sidera Castor habet  
 5 et Pollux, thalami divisit Caeculus horas,  
 6 uxorem alternis Gallus et ipse premit.

## DE EODEM.

E2\_41 v.1 Aestivae fugiens Veneris dum spicula linqvis  
 2 conjugis amplexus deliciasque tuae  
 3 et simulas aliis urbem te poscere causis,  
 4 conjugis in thalamo, Caecule, Gallus adest  
 5 et, simulans aliis illum se poscere causis,  
 6 quam fugis exsanguis strenuus ille petit.  
 7 Quis vestrum melius simulet tua dixerat uxor,  
 8 tempore quae longo te simulare cupit.

## DE EODEM.

E2\_42 v.1 Uxorem fratris cessisti, Caecule, Galli  
 2 arbitrio, thalami jura fidemque tui.  
 3 Furta nec ulla times : Phrygiae quod numina matris  
 4 ut mos est Gallis hunc coluisse putas.  
 5 Sed temet fallis : Samia non inguina testa  
 6 perculit, exhausti non gregis iste vir est.  
 7 Castratus Cybelis quamvis sit, Caecule, Gallus  
 8 testiculos Veneris, Caecule, Gallus habet.

## DE EODEM.

E2\_43 v.1 Non odii flammis, tumidae non perfidus irae  
 2 fulmine, non aliquo Gallus amore furens,  
 3 te videt ast quoniam tenuem sine viribus umbram,  
 4 non aptum Veneris spicula ferre manu.  
 5 Pro te vult clemens tantos tolerare labores,  
 6 tot mala, tot clades tantaque damna pati.  
 7 Hic est verus amor, pietas haec maxima fratris  
 8 ut valeas vires debilitare suas.

## DE EODEM.

E2\_44 v.1 Legerat infames mensas cenamque Thyestis  
 2 Caeculus et miseri tristia fata senis.  
 3 Crimen et exhorrens saevum, damnaverat omnes  
 4 sanguine qui sparso vulnera fratris amant.  
 5 Ecce, videt Gallum qui candida colla petebat  
 6 conjugis et niveos, non sine fraude, sinus.  
 7 Conticuit : potius dilectae moechus haberi  
 8 conjugis exoptans quam nece fratris atrox.

## DE EODEM.

E2\_45 v.1 Nil nisi quod praestas uxori, Caecule, verba  
 2 aut tantum variis oscula mixta jocis,  
 3 aures illa tibi tantum dat, Caecule, reddit  
 4 et merito variis oscula mixta jocis.  
 5 At Gallo peragit quia rem res sedula praestat.  
 6 Accipe, lex jubet hoc, munera quae tibi das.

## DE EODEM.

E2\_46 v.1 Sunt tua quos peperit conjunx tibi, Caecule, nati.  
 2 Sunt peperit conjunx quos tua, Galle, tibi.  
 3 Quos tua non peperit tibi sunt quoque, Caecule, nati,  
 4 quos tua non peperit sunt quoque, Galle, tibi.  
 5 Res nova : quae vobis sunt pignora, pignora non sunt,  
 6 est idem vobis filius atque nepos.  
 7 Haec solvat Phoebus : vestrum, quis credat, uterque  
 8 unius pueri patruus et pater est.

## EPITAPHIUM PHILOMELAE.

E2\_47 v.1 Hic rigidus, Philomela, lapis te claudit ; eodem  
 2 tempore nata mihi, tempore rapta mihi.  
 3 Dii bene : nam postquam debet <nunc> nata jacere, (vers lacuneux)  
 4 me patre, quod nondum me patre nata jaces.

## SILVULA HIERONYMUM VERITATEM PERFIDIAE ACCUSAT.

E2\_48 v.1 Quae tecum loquitur puella, quae te  
 2 amplexu fovet et libidinosus  
 3 verbis provocat ad tori jocosas  
 4 picti delicias, femur tenellum,  
 5 pectus candidulum, manu proterva  
 6 quae monstrat tibi, quae tibi volenti  
 7 praebet basia dulcibus labellis,  
 8 signat dentibus et genas malignis  
 9 exardens Sybaritico furore,  
 10 haec est saxea firmitas amoris ?  
 11 Haec aevo stabilis fides diurno ?  
 12 Hoc vult nobile nomen ac honestum  
 13 quod stirpi proprium tuae tibi que est ?  
 14 Sed credas tua me canente furta

15 qui te nomine veritatis omnes  
 16 falso perfide nunc vocant, vocantur  
 17 vero nomine falsitatis omnes.

JOANNI MATHEO AVEROLDO.

E2\_49 v.1 Pro te Tartarei peterem qui limina regis,  
 2 e qua centimanus fulminat ore Gyges  
 3 Zaclaeaeque sinus Scyllae saevaeque Charybdis  
 4 qua pellunt fragiles aequora surda rates.  
 5 Me fugis : hoc scelus est, hoc ingens crimen. Amicum  
 6 et post te dicis vincere Pirithoum.  
 7 Non amat atque colit quisquis timet, invidet, odit :  
 8 redde vices Pyladi, te colo, te veneror.

IN SYLVIAM.

E2\_40 v.1 Cur tam ferrea semper es puella ?  
 2 Credis forte tui jubar nitoris  
 3 longis ducere saeculis decorum ?  
 4 Sed te decipis impudens : capilli  
 5 aurum qui superant comasque pulchrae  
 6 aurorae croceas, cadent senecta  
 7 tristis cum veniet tremente gressu.  
 8 Oris purpureum tui colorem  
 9 squallentem fieri videbis et tu  
 10 exsanguis, moritura, curva, tristis,  
 11 mammis horrida pendulis, aperto  
 12 rugosi femoris vomens hiatu  
 13 flebis praeteritum misella tempus.  
 14 Curru pervolat ecce clara Phoebus  
 15 velox sidera ; labitur citatis  
 16 tempus cursibus ut solent volucres,  
 17 ut sulcat mare flantibus carina  
 18 ventis, ut jaculus manu potenti  
 19 impulsus rapidis vel amnis undis.  
 20 Dum fas est igitur decus juventae  
 21 exerce et facilis velut puella  
 22 munus da Cnidiae deae jocosum.  
 23 Lascivit merito tener juvenus,  
 24 lascivus merito jocatur agnus.  
 25 Quod tempus petit illud est honestum.

ALLOQUITUR QUI VENERI SE DICARUNT.

E2\_41 v.1 Aspice, qui Veneris lascivum numen adoras,  
 2 qui colis aligeri tecta superba dei,  
 3 Aetnaeis veluti scintillat flamma caminis,  
 4 ferrea Vulcani cum quatit arma faber,  
 5 utque leves stipulae latis uruntur in agris,  
 6 cum gravis accensos adjuvat aura focos,  
 7 viscera flammatis exardent nostra medullis  
 8 corque meum saevo cogitur igne mori.  
 9 Quodque tuis spectas oculis miserabile vulnus  
 10 hoc mihi pollicitis intulit acer amor.



11 Inter si lacrimas semper miserosque dolores,  
12 vulnera, tela, faces, vivere quaeris, ama !

## SYLVULA HIERONYMO VERITATI.

E2\_42 v.1 Montibus et pratis florentibus aurea primum,  
2 matre sua, placidus castra locavit Amor,  
3 nondum tollebant urbes super astra superbum  
4 turribus excelsis Pallados arte caput.  
5 Numina silvarum letali saucia telo  
6 ardebant flammis quod velut Aetna suis.  
7 Tu nemus umbrosum, liquidas tu deseris undas,  
8 ac si non coleret florida rura Venus,  
9 et fugis ad Circem magico scelerata veneno  
10 mutabit formae quae decus omne tuae.  
11 Inter civiles fraudes nam furta dolosque  
12 exercet didicit quae male fidus Amor.

## EIDEM.

E2\_43 v.1 Te puto Sicaniis genuit Vulcanus in antris  
2 conjugue non pulchra : nam ferus es nimium,  
3 ignitae tantum scintillae semine diro  
4 sed te qui non est ignis Acidalius.  
5 Corde Venus flammam gestat, sed nectare miscet,  
6 ambrosiam placidae flamma tenet Veneris.  
7 Ambrosiae nihil est in te, Veneris nihil in te,  
8 Vulcani est in te si quid habes Veneris.

## QUERULA LAMENTATIONE RECENSET LOCA JAMPRIDEM AMANTI JUCUNDA.

E2\_44 v.1 Fons sacer rivo vitreo per herbas  
2 qui fluens murmur virides amicum  
3 concinis sonno : mea lux, meum cor  
4 qua manet ora ?  
5 Arbor excelsis super astra ramis  
6 quae caput tollis Satyros amoena  
7 protegens umbra : mea lux, meum cor,  
8 qua manet ora ?  
9 Mons jugis pulcher, nemus et beatum  
10 quod tegunt laurus, coryli, cupressus,  
11 fagus et myrti : mea lux, meum cor  
12 qua manet ora ?  
13 Prata quae fertis thyma, quae marathra,  
14 liliu, thymbram, violas, anethum,  
15 quae rosas, mentham : mea lux, meum cor  
16 qua manet ora ?  
17 Aura quae dulci resonas susurro,  
18 arborum frondes quatiens virentes  
19 cum furit Titan : mea lux, meum cor  
20 qua manet ora ?  
21 Fons niger, latis viduata ramis  
22 arbor, obscuri juga montis, herba  
23 arida et pratium, coryli, cupressi,  
24 aura valetate !

25 Vos Venus spernit tener et Cupido,  
 26 nox tegit densis tenebris opaca  
 27 sedibus postquam mea lux, meum cor  
 28 non manet istis !

ORAT OBTESTATURQUE VENEREM, SYLVULA UT CESTO ERRONEM FERIAT.

E2\_45 v.1 Immites Siculi Venus decora  
 2 quam tollunt, celebrant, colunt, adorant,  
 3 cui dant munera Gratiae triformes,  
 4 quam circum variis Cupido pennis  
 5 lascivus volitat, trahens pharetra  
 6 ex fulva nitidas manu sagittas,  
 7 invicta laqueos et arte texens,  
 8 duxit sub juga qua deum parentem ;  
 9 si Mavors placuit tibi superbus,  
 10 Aeneae pater et tener protervo  
 11 fossus dente ferae puer cruentae,  
 12 torque flammifero furens asilo  
 13 cor qui me juvenis premit feritque,  
 14 et nostros cito fac petat penates.  
 15 Sic myrto, violis, rosa, ligustro  
 16 componam virides tibi corollas,  
 17 sic magni Jovis intulisse semen  
 18 credam te tumidis maris procellis,  
 19 ad nos candidulo sinu venustam.  
 20 Sic semper celebrans colensque dicam  
 21 magno nomine te deam deorum.

HIERONYMO VERITATI.

E2\_46 v.1 Me cruciat saevo pestis violenta veneno  
 2 quae legem pestis non habet atque modum.  
 3 Pallida nunc, nunc sum veluti rosa purpureus flos,  
 4 frigida nunc glacies, ignea nunc glacies.  
 5 Me circum volitant umbrae, scelerata flagellum  
 6 concutit horrendas atque Megaera comas ;  
 7 aut vidi Nymphas, aut me vidisse putavi  
 8 somnia qui Faunos cernere me faciunt.  
 9 Consului Venerem quis morbus, rettulit illa :  
 10 "Graecus equus, manes te quoque sic cruciant :  
 11 Graecus equus cui pars pedis ultima deficit, os quod  
 12 summittunt manes sed breve non mutilum."  
 13 Quo si non venies ad me, ferus iste juvencam  
 14 Graecus equus faciet me quoque Pasiphaen.

HIERONYMO VERITATI.

E2\_47 v.1 Sunt sub marmoreo tibi Norica pectore tela,  
 2 ferreus est adamas vulnificusque calybs  
 3 aereus aeratos agitatur qui spiritus artus.  
 4 Visceribus Scyron subjacet ipse tuis,  
 5 Battus et in lapidem versus Lilybaeus et Othrys,  
 6 Didyma, Pindus, Athos, Cynthus, Olympus, Eryx.  
 7 Te pater armatus genuit saevissime, mater

8           a Niobe durum traxit iniqua genus.  
 9       Lac tibi Tartareum flammis armata Chimaera  
 10       mortibus innumeris lac dedit Hydra nocens.  
 11       Mitiior est dipsas, jaculus, seps, amphisibena.  
 12       Tam fera corda ferus nec basiliscus habet.  
 13       Saxosum pro corde tulit Saturnus ophitem,  
 14       Mars tibi Caucaseam sanguine pro glaciem.  
 15       Non tam dirus erat genuit puer improbus ille  
 16       quem patre Cephiso caerula Liriope.  
 17       Duritiam te quisque vocet. Ferus est ferus ut sit  
 18       qui, quoniam tantum ferreus, et ferus est.

QUERELA SYLVIAE.

E2\_48   v.1   O quae fumivomos geris Chelydros  
           2    atris vertice pro fero capillis,  
           3    Alecto, Stygii ministra regis  
           4    ad nostrae venias domus penates  
           5    infaustos, referens venena nigri  
           6    quae ructat canis horrido sub antro  
           7    Orci tergeminus, triceps, trilinguis  
           8    ad mortis propero cruenta fata  
           9    infelix quoniam ; Megaera tuque  
 10       ardentes quatiens faces malorum  
 11       et tu perfida criminum feroxque ;  
 12       jam jam portitor impiae paludis  
 13       telo saucia perfido : Sychaei  
 14       conjunx ut miseri misella Phyllis,  
 15       et vel Lesbia quam Phaon puella  
 16       odit trux, nimium protervus, atrox  
 17       ensem jam capio rogi vel ignis  
 18       ardet jam crepitantibus favillis.  
 19       Flet tristis pater, ardui sorores  
 20       lamentis feriunt polos Olympi.  
 21       O Nymphae faciles, Dryas, Napaeae  
 22       et tu, Sylvia blanda, pulchra, mitis,  
 23       fontes, flumina, prata, rura, montes,  
 24       hoc est quod loquor ultimum, valete.  
 25       Saevas ibimus, ibimus sub undas,  
 26       linquentes rabidis tenella membra  
 27       ursis, vulturibus, lupis, leaenis.  
 28       Hoc demum meruit fidele pectus  
 29       nostrum, candida mens, pudicus ardor  
 30       cordis, spes hilaris, decens voluptas !  
 31       Perjurus, ferus, improbus, malignus,  
 32       mendax, sacrilegus, malus, molestus,  
 33       fallax, proditor, impius, profanus,  
 34       est vir quilibet. Hanc gravem puellae  
 35       pestem corporibus fugate castis,  
 36       aurum spernite muricisque tinctas  
 37       vestes, Carpathii maris lapillos.  
 38       Illis muneribus latent sub angues  
 39       diri, letiferi latent leones.  
 40       Heu, heu, me tenera mori juvena  
 41       cogis nomine sub pio cruento.  
 42       Sed te, funera post mei sepulchri,  
 43       non poenis sine sospitem valere

44 permittam, sequar umbra sed figuris  
 45 horrenda innumeris, bison, Chimaera,  
 46 seps, prester, crocodilus, hydra, tigris,  
 47 taurus, gryps, oculos tuos et ante  
 48 stans mentem, quatiam, movebo corda.  
 49 Te semper stimulis agens et igne,  
 50 non parvo miserum premam timore,  
 51 donec tu manibus tuis tibimet  
 52 pectus perfodies dabisque poenas :  
 53 justus Juppiter est, necabis illa  
 54 te qua me miseram necas sagitta.

## JOANNI SICULO.

E2\_49 v.1 Tusca movens animas inter qui plectra beatas  
 2 cantat adhuc mores, Laura pudica, tuos,  
 3 alloquitur vatem septem modulamine vocum  
 4 qui potuit Scythicas sollicitare feras,  
 5 Eumenides mulcere, Canis tres claudere faces,  
 6 tutus adire Stygem, tutus abire Styge :  
 7 "Vertice nunc caelos tangam, glacialibus oris  
 8 ibit ad ardentem nunc mea fama polos ;  
 9 nunc ego laudabor celsae super ardua Cirrhae  
 10 saxa sedens ; hederam nunc ego dignus ero ;  
 11 me legit Augusta vates Aetnaeus in urbe ;  
 12 nunc quoniam docte, dulciter, egregie  
 13 non legit immo novans, memet mihi reddit in illo.  
 14 Impellor, timeo, deprimor, uror, amo,  
 15 illius et toto totus sub pectore versus  
 16 quos legit ille, lego, quos canit ille, cano."

## AD EUMDEM.

E2\_60 v.1 Cum legis Etrusci divina poemata vatis,  
 2 divinum sacro pectore numen agis  
 3 et velut Euboicis veniens tunc doctus ab antris  
 4 non sacra mortali carmina voce canis ;  
 5 sed, Jovis et superum narrans oracula, dicis  
 6 quae deceant superos, quae quoque verba Jovem.  
 7 Si roseos Laurae vultus moresque pudicos,  
 8 ante oculos Laura est pulchra pudica tuos,  
 9 si miseri flammam caecum si vulnus amantis  
 10 exardens patitur vulnera caecus amans ;  
 11 detegis affectus, declaras gaudia, luctus  
 12 exprimis et propriis spemque metumque modis.  
 13 Verius et referas amborum corda, simulque  
 14 fecerunt illi fecit uterque sibi.  
 15 Splendida si rursus Franciscus ad astra rediret,  
 16 Elysii linquens regna beata soli,  
 17 noscere te melius sua carmina disceret atque  
 18 se decus et mores candida Laura suos.

## EIDEM.

E2\_61 v.1 Cum canis dulces Veneris labores,

2 cum faces nati geminas, pharetram,  
 3 telaque et pulcher tibi dat Cupido  
 4 tela facesque ;  
 5 Pallados vires clipeumque, saevis  
 6 anguibus nexum modularis arte  
 7 forte si docta, tibi dat cruentam  
 8 Gorgona Pallas ;  
 9 si lyrae pulsas Ephyres sub antris  
 10 fila Phoebéis agitata plectris,  
 11 plectra Phoebéis Ephyres sub antris  
 12 dat tibi Phoebus.  
 13 Si jocos blandis salibus petulcos  
 14 verba si sacri Bromii dicata,  
 15 fronde crescentes hederas sequaci  
 16 dat tibi Bacchus.  
 17 Si comas Laurae roseosque vultus,  
 18 carmen Etrusci lepidum poetae  
 19 si, tibi lauros gerit illa, carmen  
 20 dulce poeta.  
 21 Phoebus et Pallas, Venus et Cupido  
 22 cornibus clemens positus Lyaeus,  
 23 Laura Franciscusque tuo sub una  
 24 pectore vivunt.

## ANTIMACHO.

E2\_62 v.1 Cum fera sanguinei stimulis Bellona flagelli  
 2 impulit in Gallos agmina nostra duces  
 3 Marmaricus Libycis velut et leo Turcus in arvis  
 4 fulmineo pavidas dissipat ore feras,  
 5 barbaricos fudit populos clarumque triumphum  
 6 ad Veneti duxit regna superba ducis.  
 7 Hic quem forte putas imbellem, strenuus hostes  
 8 contudit ut fragiles aequora surda rates,  
 9 ac ut Gonziaci sequeretur fata tyranni  
 10 non timuit dirae tela cruenta necis.  
 11 Pro meritis poscit tantis nunc praemia possint  
 12 ut tantum miseri carpere gramen equi,  
 13 ipse piaae Cereris fruges et dona Lyaei.  
 14 Non cecidit pugna qui cadet ille fame ?  
 15 Exposuit vitam belli qui tempore, vitam  
 16 tranquillae saltem tempore pacis alat.

## AUGUSTINO BARBADICO.

E2\_63 v.1 Quis Romae dominos gentem superare tuetur  
 2 unguibus et forti quam leo dente negat ?  
 3 Quaeris opes ? Auri quicquid Gangetica tellus,  
 4 quicquid habent Hermi flumina, quicquid Tagi  
 5 haec habet. Arma petis ? Potuit domuisse feroces  
 6 Illyricos, Parthos, Sauromatasque truces  
 7 Italiaeque omnis vires. Vis jura fidemque ?  
 8 Et fidei celebrat juris et ista decus.  
 9 Insignis populo, sancto veneranda senatu,  
 10 incluta consiliis, religione pia  
 11 omnibus his aequat Romam ; sed magna potentis

12 Augusti superat principe regna suo.  
 13 Nam si magnanimus bello dux ille potensque  
 14 tutor erat pacis justitiaeque pater,  
 15 haec sibi non populo praestabat dona, sed iste  
 16 non sibi sed populo quod facit omne facit.  
 17 Consulit, aedificat, pugnat, studet, auget alitque  
 18 pascit, amat, vivit denique pro populo.  
 19 Vi fuit ille deus, non libertatis amore,  
 20 non sibi, sed patriae qui regit, ille regit.

IN JULIUM SPERNENTEM DIVITIAS.

E2\_64 v.1 Ridet jugera Julius Syennes  
 2 et messes Latii novas beati,  
 3 et quod nectareum cadis Falernum  
 4 annosis roseus gerit minister,  
 5 vestes muricis oblitus cruore  
 6 auro fibula circuit nitente  
 7 aut quas, aut viridi colore gemmas,  
 8 caros fluminis Indici lapillos,  
 9 vel quae Carpathiis leguntur undis.  
 10 Crassi divitias, Midae potentis  
 11 solos et fore pauperes beatos  
 12 affirmat. Nimis est sagax, acutus ;  
 13 quae nullo ingenio potest habere  
 14 squallens, pauper, inops, misellus, aeger,  
 15 exhorret, fugit, increpat, lacessit.

JOANNI MARIAE PLACENTINO.

E2\_65 v.1 Improba clamosi sequeris cur jurgia circi,  
 2 insani lites et fera bella fori,  
 3 qui potes Aonii celso sub vertice montis  
 4 argutam Phoebi sollicitare Lyram,  
 5 Ismarius veluti cum celsa cacumina vates  
 6 Parrhasis et saevas quas videt Ursa feras  
 7 carmine ducebat vel cum truculenta Chimerae  
 8 placavit dulci pectora flammivomae ?  
 9 Causidicis tandem linquas palatia raucis  
 10 quos rabies saevi quos decet ira canis ;  
 11 non Aganippeas delectant bella sorores,  
 12 tristia virgineus non petit arma chorus.  
 13 Quo ruis, infelix ? Qui Phocidis arva relinquit  
 14 ut se plebeis ingerat officiis,  
 15 se jacet in tumidum ventis resonantibus aequor  
 16 cum valeat placida ludere tutus aqua.

BALTHASSARI CRASSO.

E2\_66 v.1 Candida torquatas poscit Cytherea columbas,  
 2 lascivum numen victima blanda decet.  
 3 Dindyma frenato Cybeles petit alta leone,  
 4 magnanimus magnae convenit ille deae ;  
 5 obliquos sol clarus equis cito praeterit axes :  
 6 an decet ut tardo pervolet astra bove ?

7 It per sidereos rex falcifer anguibus orbes :  
 8 quid mirum gelido si placet Hydra seni ?  
 9 Tigri, Bacche, petis placidi vineta Timoli ;  
 10 horrerent pavidae tympana rauca ferae.  
 11 Per freta pisce sedens madidus nat caerulea Triton ;  
 12 obruit unda furens, sit licet acer equus.  
 13 Qui mittit pueris, mittit qui saeva puellis  
 14 spicula, nil mittit, sint pretiosa licet.  
 15 Dent costum, gemmas, pinguis dent munus amomi,  
 16 aurum, marmor, ebur, vellera, tura, crocum  
 17 Sparta, Tyros, Patale, Panchaia, Caucasus, Hermus  
 18 Euboicum litus vel Thasos atque Tagus,  
 19 qui petit haec, Crasso. Dent dulcia carmina vates  
 20 vatibus et claris nomina clara viris,  
 21 militibus galeas, pueris follemque trochumque.  
 22 Nil dat qui non dat quae dare dona licet.

## DANTI ALIGERIO.

E2\_67 v.1 Non ego, sed virtus laudat te, Cynthius alto  
 2 laudatur croceis cum nitet axe comis.  
 3 Carmine ni dulci fleret scelus Attica pellex,  
 4 Tereos haud clarae nomen haberet avis ;  
 5 dulciter obliquis Maeandri funera ripis  
 6 ni sua cantaret non coleretur olor.  
 7 Lydius auratas quoniam Pactolus arenas  
 8 gignit, ad aethereos tollitur astra polos.  
 9 Cum libet, excelsis bimarem sub rupibus isthmon  
 10 permulcens Satyros ad tua plectra moves.  
 11 Est tuus Eurotas, Helicon, Delosque Rhodosque,  
 12 est tua pimplaeo quae cadit unda lacu.  
 13 Hectora cur fortem, cur fama canebat Achillem ?  
 14 Egregios virtus non tacet alma viros.  
 15 Nobile laudari decus est, rem laudibus aptam  
 16 eximiis facere est sed magis egregium.

## BERNARDINO MASSEBONO.

E2\_68 v.1 Mortales, fateor, caelestibus aetheris astris  
 2 pellimur ut madidis uncta carina notis.  
 3 Jugera per gravidas hinc Sirius urit aristas,  
 4 decoquit ardenti scindit et arva face ;  
 5 flatibus hinc Scythici Boreae glaciemque nivemque  
 6 frigoribusque suis frigida densat hiems ;  
 7 hinc Bellona furit stimulis agitata cruentis,  
 8 hinc movet indomitos Mars truculentus equos ;  
 9 inde salus, morbi, pax, foedera, jurgia, lites.  
 10 Sidera non generant nos sine patre tamen.  
 11 Sol, Mars, Luna, Venus, Saturnus, Juppiter, Arcas  
 12 non nostrae formam frontis et oris habent.  
 13 Dat genitor mores, animam dat sanguine mixtam,  
 14 dat vultus, oculos, brachia, crura, pedes.  
 15 Nascitur icterico patre cur si sidera poscunt  
 16 quae bona sunt tantum filius ictericus ?  
 17 An caelum aegrotat ? Generant, nos crede, parentes :  
 18 arrigitur nullis mentula sideribus.

## ANTONIO CABALLO.

E2\_69 v.1 Accedam tumidas numquid male sanus ad urbes  
 2 si nihil est in me quod petat urbis amor ?  
 3 Ambitio cives agitat vesana superbos,  
 4 at mihi displicuit semper inanis honor.  
 5 Illorum pectus Crassi premit improba pestis,  
 6 me Curii mores Fabriciique decent.  
 7 Furta sequi Veneris gaudent scelerata procaces :  
 8 aligeri fugio tela facesque dei.  
 9 Sumen aprumque vorant, boletos, ostrea, mullos :  
 10 est lactuca satis nobilis esca mihi.  
 11 Per fora clamosas exercent stridula lites ;  
 12 nil clamore mihi tristius esse potest.  
 13 Inter se certant odiis rabidoque furore ;  
 14 dulcia tranquillae foedera pacis amo.  
 15 Expellunt, rident quem non tegit aurea vestis :  
 16 me rudis et pullo vellere laena tegit.  
 17 Urbem non igitur poscam quae nil tenet urbis.  
 18 Urbs est in medio rure beata mihi.

## COMITI FULGOSINO.

E2\_70 v.1 Fulgentes avibus bonis, Thalia,  
 2 fulgosi thalamos petas tyranni,  
 3 sed vultu caveas libidinoso  
 4 ne pergas, veluti soles, petulca  
 5 cum cantas Veneris nimis salaces  
 6 motus, delicias, jocos, rapinas.  
 7 Non molles Triviae coluntur arae  
 8 isto sub duce, non Tagi puellae  
 9 saltant, non Bromii quatit furentis  
 10 Thyas cymbala, sinistra vel sacerdos,  
 11 quae plorat Pharii bovem Canopi,  
 12 non inter Sybariticos cinaedos  
 13 insanae pathici cubant Cybelis.  
 14 Sed ponit gravitas Catonianos  
 15 mores ordine, candidus decensque  
 16 est junctus pudor aureo decori,  
 17 est clemens pietas, fidesque recta,  
 18 est sincerus amor, probus, pudicus,  
 19 virtus denique quaelibet sacelli  
 20 huc currit velut ad fores amici.  
 21 Nam princeps domus inclytæ Solonis  
 22 leges continue legit verendas,  
 23 et cur nimbisonas maris procellas  
 24 venti concutiunt, tremat vel orbis,  
 25 et crebris facibus micent Olympo  
 26 ignes cum sonitu poli resultant  
 27 horrendo gemini, movetur axis,  
 28 celsus qua ratione quaque lege  
 29 sol Cancrum petit et petit Juvencum,  
 30 qui caelum teneant dei profundum,  
 31 quid trinum numero Jovis sub uno  
 32 numen numine, disputat docetque.



33 Cujus candida cum videbis ora,  
 34 demissis oculis genuque flexo  
 35 dicas talia verba te monemus :  
 36 "O sacrum Latiae decus Camenae,  
 37 Phoebi perspicuum jubar nitentis,  
 38 vultu me lege te precor benigno,  
 39 laeto, sidereo. Lacus, paludes,  
 40 silvas, jugera, flumina, antra, colles  
 41 namque inter canimus leves avena  
 42 dura versiculos, Marone dignos,  
 43 dulces, grandiloquos, graves, severos,  
 44 det, Baptista, tibi sacer poeta  
 45 qui rupem bimaris tenet Corinthi,  
 46 Eurotam, Lyciam, Rhodon recessum  
 47 et quo Delphica concinis sacerdos.  
 48 Non mel dant culices, apes beatum  
 49 si nectar petis est opus requiras."

EPITAPHIUM GASPARIS PERUSINI.

E2\_71 v.1 Mucronem dederat cui Mars ferus, aegida Pallas  
 2 strenua cui Veneti bellica signa duces,  
 3 Gaspar habet corpus tumulo Perusinus isto.  
 4 Mucronem Mars hic, aegida Pallas habet.

EJUSDEM.

E2\_72 v.1 Mente gravis, pietate, fide probus, inclytus armis,  
 2 ductor agens Veneti Martia castra ducis,  
 3 te, Gaspar Perusine, tegunt haec marmora ; vos haec  
 4 marmora, mens, pietas, arma fidesque tegunt.

EJUSDEM.

E2\_73 v.1 Ductor magnanimus leonis inter  
 2 ductores Veneti feros sepulchro  
 3 hoc Gaspar Perusinus ossa claudit ;  
 4 si quantus fuerit requiris ultra,  
 5 non noscis, puto, Martios triumphos.

FRANCISCO FRISONO, DE SOMNO SYLVIAE.

E2\_74 v.1 Frondosa recubare cum sub umbra  
 2 vidissem roseos meam puellam  
 3 flores inter et alba per ligustra  
 4 corpus candidula suum tegentem  
 5 quod non candidulum toga tegebat,  
 6 vitrum purpureas rosas ut album  
 7 clari fluminis aut aquae lapillos,  
 8 suspensis gradibus levique motu  
 9 accessi ; refovebat illa lassi  
 10 cordis spiritulos, premens cadenti  
 11 lympa vertice pectoris meatus.  
 12 Cornu flexile, pendulam pharetram,

13 lyncis quam maculosa pellis atque  
 14 ornabant vario decore tela,  
 15 dextra non procul a sua tenentem.  
 16 Errans somnia vana quae et per ore  
 17 incerto et tenui locutione  
 18 ventis verbula murmurabat ista :  
 19 "O caro mihi carior parente,  
 20 O dulci mihi dulcior sorore,  
 21 me jucundior, o mihi meaque  
 22 vita gratior, o mei lepores,  
 23 cor, mens, deliciae, joci, voluptas,  
 24 amplector Jove te favente tandem  
 25 tandem te manibus meis et ore  
 26 te, te libera basiare possum ;  
 27 tangas nectaris o tui papillas,  
 28 tange, o tange manu tuos amores ;  
 29 quid cessas teneris pio labellis  
 30 dente inferre notas et omne corpus  
 31 nostrum hoc ducere Cyprias ad aras ?"  
 32 Inter me medios sinus cubantis  
 33 tunc mox composui osculis petentem  
 34 et multis satiare saepe coepi  
 35 jungens pectora pectori, simulque  
 36 os ori, manibus manus, femurque  
 37 exsultans femori, labore grato  
 38 lumbis sub tremulis micante lingua  
 39 flexis cruribus anxio vel ore  
 40 et dulci Venerem citare pugna.  
 41 Credam nunc sapientibus probisque,  
 42 verum est omnia nos quae imaginamur  
 43 nobis fortiter evenire casu.  
 44 Haec est regula dulcis et faceta.  
 45 Haec si sunt sophiae probata dicta,  
 46 curo dogmata nil Catoniana  
 47 nec saevi Tatii, Numaeque mores  
 48 hirsuti celebrent suum Solonem.  
 49 Nos tantum lepidi decent libelli.

DE LAUDIBUS SYLVIAE, FRANCISCO BONALLIO.

E2\_75 v.1 Sit caeli virtus, sint sidera fortia quamvis  
 2 et valeant vires sanguinis atque loci.  
 3 Strenuus hinc quis sit fortis, probus atque beatus  
 4 fortior est tamen his imperiosus Amor.  
 5 Infortunato nam Sylvia nata sub astro,  
 6 Scorpius ardentem cum tenet acer equos,  
 7 vallibus in mediis duro generata subulco,  
 8 inter equas recubans semper et inter oves,  
 9 compositis loquitur verbis et murmure blando,  
 10 rustica nil durae rusticitatis habet.  
 11 Incessu graditur lento, risuque modesto,  
 12 aemula purpureis floribus, ora movet.  
 13 Naturam caeli motus geminosque parentes  
 14 sanguinis atque loci nobilitavit Amor.

## PETRO BRAVO, DE AEGROTATIONE SYLVIAE

E2\_76 v.1 Sylvia ferventi mea solvitur hemitritaeo,  
 2       pressa velut Geticae sole calente nives,  
 3       aestuat et tumidis agitat praecordia venis,  
 4       exhalat nebulas tristis et ore graves,  
 5       vincebant biferi quae picta rosaria Paesti  
 6       obscurat croceus pallida labra color,  
 7       squallent ora situ, macies turpissima membrum  
 8       attenuat rabida corporis omne fame,  
 9       non ornant crines niveae non tempora vittae,  
 10       candidulum pectus flammea nulla tegunt ;  
 11       ordine non recubat, nunc huc nunc volvitur illuc,  
 12       nec curam sancti casta pudoris habet.  
 13       Mactavi Cereris natae Stygioque tyranno  
 14       et taurum et nigras, relligiosus, oves.  
 15       Fervet adhuc ; vates, medicos, oracula divum  
 16       ut mea lux valeat, consule, Petre, rogo,  
 17       si tibi cura mei est : uno nam vulnere ferret  
 18       flumine mors nigro sub Stygis unda duos.

## MARCO ANTONIO MAUROCENO.

E2\_77 v.1 Maurocene, favet posita cui Gorgone Pallas,  
 2       cui jam se totum pulcher Apollo dedit,  
 3       si pia delectant juris te foedera sancti,  
 4       candida si patrii diligis acta fori,  
 5       regia tecta petas ubi dux solet atque senatus  
 6       Romuleo leges composuisse modo,  
 7       et quaesitorum subsellia maximus inter  
 8       dic, age, quod laudet Romulus atque Numa :  
 9       "Tam cito fas non est causas cognoscere, non est  
 10       fas capitis poenae tam cito ferre manum.  
 11       Saepius insontem verbis accusat iniquis  
 12       improbis, innocuos dilaceratque viros.  
 13       Gignit abortivos excusso pectore fetus  
 14       femina, legitimam quae parit ante diem ;  
 15       saepe cadit celeri properat qui currere passu,  
 16       cogitur et media saepe jacere via.  
 17       Qui bonus est iudex geminas examine lances  
 18       dirigit aequata sublevat atque manu."  
 19       Audiet Augustus si talia forte, rogabit  
 20       ut tua non damnent dicta verenda patres.  
 21       "Non possum certe", dices mihi. Maximus ipse  
 22       sed cum sis Marcus, maxima, Marce, potes.

.../...

## LIBER TERTIUS.

## AD MAGNIFICUM LUDOVICUM MARTINENGUM.

E3\_1 v.1 Et tibi cum sensit noster, Lodovice, dicari  
 2 liber : "Agis tardas desidiose moras  
 3 Pamphile", clamavit "quid stas ? Da cornua fronti  
 4 aurea, purpurea me quoque veste tege,  
 5 exornes cedro, securus limina doctus  
 6 quae probus ipse colit Zoilus atque petam."  
 7 Nostra legent omnes demissa carmina fronte,  
 8 nomine nam cujus sidera clara petam  
 9 ob sanctos animi mores, ob numina nostri  
 10 delicias generis compita quaeque vocant.  
 11 Qui celebrat dominum, servum fovet. Inclyta, magna,  
 12 aurea quae non sunt, aurea reddat amor.

## SUBURBANUM XANCTINI AURIFICIS LAUDAT.

E3\_2 v.1 Angustae credis Xanctini culmina villae  
 2 parvaeque sub parvo limina clausa loco,  
 3 exiguum quoniam tectum est et limina parva.  
 4 Falleris : haec magna est, haec spatiosa domus,  
 5 sexcentum thalamos thalamis capit ista duobus,  
 6 longa sub angustis atria limitibus,  
 7 porticus est ingens, immensa cubilia, thermae,  
 8 vestibulum, cellae, pergula, crypta, penu.  
 9 Miraris ? Magnus locus est qui limina parva  
 10 parvus habet magnis semper aperta viris,  
 11 libertas quem blanda colit, quem casta voluptas,  
 12 qui tenet Aoniis regna dicata deis.  
 13 Quamvis vasta domus surgat, sunt parva tenacem  
 14 et solum dominum limina quae capiunt.

## AD GEORGIUM VALLA.

E3\_3 v.1 Lumina Niliacae centum clausisse juvencae  
 2 custodem citharae carmine Maenaliae,  
 3 Hectoreae Phoebum mirabar pergama Trojae  
 4 concentu querulae composuisse lyrae,  
 5 nec non Cadmeas Amphion versibus arces  
 6 placasse, Eumenides Orphea Tartareas ;  
 7 isthmia te bimaribus miror nunc saxa Corinthi  
 8 tam doctum docta sollicitare chelys ;  
 9 inter mortales te solum mirer ut omnes  
 10 Pierias merito quae coluere deas ;  
 11 in saxum satis est, quoniam plus vertere saxum  
 12 aspera quam dulci saxa movere sono.

## MAGNIFICO LUDOVICO MARTINENGO.

E3\_4 v.1 Forte times saevi truculento vulnere fati

2           ne rapiat natum mors violenta tuum,  
 3       quod nimium prudens, primis quod sedulus annis  
 4       componit, dictat, disserit, urget, agit.  
 5       Non opus est timeas ; nam, quamvis mors fera cives  
 6       aspiciens alios, hunc putat esse senem,  
 7       te spectans, puerum vix credit ab ubere raptum.  
 8       Bis pater es, natus te patre bis puer est.

MARCO ANTONIO SABELLICO.

E3\_5    v.1       Qui nunc principibus nostris ducibusque placere  
           2       optat et in primo posse sedere gradu,  
           3       consulis et fasces equitum vel ferre magistri  
           4       praemia, vel Phrixi vellera dives ovis,  
           5       urbibus et leges et foedera ponere genti,  
           6       ducere laurigeros sub juga, victor, equos,  
           7       inclyta non magni non Caesaris arma sequatur,  
           8       non fieri studeat Romulus atque Numa,  
           9       noscere non rerum causas, non culmina Cynthi  
 10       scandere, non dulces composuisse sonos,  
 11       non quid sint numeri, spatiis quibus omnia constant.  
 12       Grammaticos spernat, spernat et astrologos,  
 13       sed fieri cupiat parasitus, moechus, adulter,  
 14       fellator, draucus, mango, lanista, coquus ;  
 15       sit paedico simul durus mollisque cinaedus,  
 16       principibus nostris sic puto gratus erit.

PETRO VOLSCO.

E3\_6    v.1       Petre, mihi dicunt multi quod Martia quaeram  
           2       quae posuit forti moenia fratre Remus,  
           3       quae petit Illyricus, Tanaim colitatque nivalem  
           4       quique, Borysthenio quem ferit Ursa gelu,  
           5       quique manent torvi flexo sub poplite Tauri,  
           6       quique Cleonaei regna leonis habent :  
           7       pontifices celebrant nostris quibus orgia vannis  
           8       tympana clamoso nec Corybante sonant,  
           9       denique dat leges ubi maximus ille sacerdos,  
 10       ille, ille in terris qui gerit arma Jovis.  
 11       His ego celsa petam magnae cur moenia Romae  
 12       credulus, hic vitae qua ratione fruam ?  
 13       Morio qui non sum, gladiator vel citharoedus,  
 14       nosco nec antiquis condita vina cadis,  
 15       nescio pollicitis blandas qui nocte puellas  
 16       ducere vel teneros ad sacra tecta mares.  
 17       Haec pathicus meritrixque petant ; namque omnia Romae  
 18       cunnus et imberbis munera culus habet.

DE BELLO GALLICO.

E3\_7    v.1       Flare solet Zephyri placidum quo tempore murmur,  
           2       flat ventus Scythici qui venit arce poli ;  
           3       Phrixeae fulget caelo quo portitor Helles  
           4       mense, pluunt largas Piscis et Hircus aquas ;  
           5       nix cadit aurati pingunt cum gramina flores

6 tristis et infandum flet Philomela nefas  
 7 ad Latium veniat ne Gallica turba beatum  
 8 celsaque magnanimi Caesaris aula cadat :  
 9 et vos, Ausonii reges, in vestra movetis  
 10 pectora victrices Marte furente manus,  
 11 quaeritis ut saevum rapiat vel limina vulgus  
 12 Itala, sub duro vos premat atque jugo.  
 13 Eia, age martigenae soboles generosa Quirini  
 14 agmina Romana barbara pelle manu.  
 15 Jungantur Veneti castris tua castra leonis ;  
 16 Italiae solus qui pater arma gerit.  
 17 Numquid adhuc Gallis credis, Florentia ? Florem  
 18 si bene caeca putas diripere tibi ;  
 19 et tibi fulva tuum rapuere Neapolis aurum,  
 20 dona, greges, mensas, jugera, vasa, domos,  
 21 vincetis, fugient hostes ; quid corde timetis  
 22 sollicito parent quis sacra regna Numae ?  
 23 Astra favent vobis, Venetus favet atque senatus.  
 24 Nihil contra Venetos astraque summa potest.

## IN EOSDEM.

E3\_8 v.1 Galle, ferae spiris junxerunt tristibus Hydrae  
 2 auspiciis quae te numina dira malis  
 3 qua tibi blanditur cauda letale venenum  
 4 spargere funesto vulnere saeva parat ;  
 5 quaeque nitent tenerae facies aut ora puellae  
 6 Gorgonei vultus post breve tempus erunt  
 7 in lapidem qui te vertent ; horrenda rigebit  
 8 quae splendet nitidis aurea squama notis.  
 9 Adde quod Alcides illi se junxit amica  
 10 pace, colubriferum quo levat illa caput :  
 11 ergo fugam capias infelix, dum potes ; hostis  
 12 vipera nam Gallis semper acerba fuit.

## IN EUMDEM.

E3\_9 v.1 Cristatum non, Galle, caput super aethera tollas  
 2 si vicere tui plurima regna patres  
 3 atque Jovis laetos velati fronde juvencos  
 4 Phoebæ sacris saepe tulere focus.  
 5 Namque palatino bis sex sub nomine scripti  
 6 ductores, quorum maximus unus erat  
 7 vulnera non capiens fatorum munere, qui jam  
 8 aerea scindebant ensibus arma suis  
 9 ut fragilem ferro glaciem vitreosque trientes,  
 10 ut teneras lactis frangimus atque pilas  
 11 auspiciis non bella tuis plus maxima tractant  
 12 inter semideos turba beata duces ;  
 13 nec quibus invictos vincas tibi Juppiter hostes  
 14 misit ab excelsis aurea signa polis.  
 15 Galle, cades : sumptis nam qui spem ponit in armis  
 16 alterius, cum sit debilis ipse, cadit.

## IN EOSDEM.

E3\_10 v.1 Forte putas Venetum demens superare leonem,  
 2 Galle, quod Alcides te duce bella movet.  
 3 Amphitryoniades non est hic fortis et acer  
 4 qui Stygium caeca traxit ab arce canem,  
 5 qui puer elisis squamosos faucibus angues  
 6 depressit tenera matre pavente manu,  
 7 strenuus Antaeum qui pectore vertice caelum  
 8 sustulit et saevus dilaceranda feris  
 9 membra ducis posuit, Taurum, Stymphalidas, Hydram  
 10 qui domuit cervam Maenaliūque suem  
 11 quique Cleonaei succinctus pelle leonis  
 12 tristia neglexit conjugis arma Jovis !  
 13 Nec leo magnanimus clavas timet iste salignas,  
 14 robora sed ferrum saxaque dente secat.  
 15 Invictus terrae pedibus tenet atque duobus  
 16 regna, potens aliis, quas movet Eurus, aquas.  
 17 Cum libet ad caelum geminis volat impiger alis  
 18 et sacer aetherei se locat arce Jovis.  
 19 Quid facies vani delusus imagine somni ?  
 20 In laqueos tandem, Galle proterve, cades.  
 21 Nam tuus Alcides falso dux nomine tantum  
 22 est ; Venetus vero nomine reque leo.

## IN REGES LATII.

E3\_11 v.1 Quid facitis, Latii reges ? Capitolia Galli  
 2 Romuleique tenent regia tecta Numae ;  
 3 templa, domus, circi subsellia, rostra, colossi  
 4 pegmata, pyramides, amphitheatra cadunt.  
 5 Sena jacet, Pisae, Florentia, Luna, Volatrae,  
 6 moenia discordis victa jacent Genuae.  
 7 Ardea barbaricos Paestanaque rura tumultus  
 8 formidant ; cladem Sicelis ora timet ;  
 9 accola Ledaevi trepidus parat arma Phalanti  
 10 arma bibunt undis quique, Galese, tuis.  
 11 Proh, scelerata fames auri ! Venisse putatis  
 12 numquid adhuc hostes ad pia regna truces ?  
 13 Argentum, miseri, pretiosa monilia, mensas  
 14 servate et largis parcite divitiis  
 15 ut juga vos rapiat miles sub dura cruentus  
 16 et laceret saeva pignora vestra manu.  
 17 Libertate valent auri sine munera nil : qui  
 18 aurum plus justo rex petit, ille cadet.

## DE LAUDIBUS URBIS BRIXIAE.

E3\_12 v.1 Urbem qui quaerit deceant quam nomina verae  
 2 urbis et imperii fama, decus tituli,  
 3 hanc petat, est quoniam glebis fecunda, metallis  
 4 fulva racemiferi nectare plena dei,  
 5 vellere tecta suo quae murice tinxit, olivis  
 6 fertilis, armento laeta, beata grege,  
 7 fontibus exundans vitreis, florentibus herbis  
 8 picta, croco, felix sole, solo, Zephyris.

9 Pace proba, clemens, hilaris praestantibus armis  
 10 strenua, non una est Brixia, se superat,  
 11 egreditur semet ; regnum est, si munera quaeris,  
 12 una est unius pectora si populi.

## EJUSDEM.

E3\_13 v.1 Condidit hanc urbem quis ? Galli moenibus acti  
 2 non, quia Gallorum non habet haec rabiem.  
 3 An Germanus atrox ? Non credas, perfida non est,  
 4 non cupit indomita crimina clade sequi.  
 5 Quid petis haec ? Oculis percurras moenia, campos,  
 6 antra, lacus, silvas, jugera, prata, domos,  
 7 invictum robur populi, violenta Minervae  
 8 pectora, belligeri tela facesque dei.  
 9 "Herculis hanc", dices, "fondavit dextra." Superbum  
 10 hoc opus est dextram quod decet Herculeam.

## EJUSDEM.

E3\_14 v.1 Artem si spectes qua perfida certat Arachne  
 2 jurabis : "Sola haec moenia Pallas habet."  
 3 Si Methymnaeis pendentia caecuba ramis :  
 4 "Solutus in hac thyasos urbe Lyaeus agit."  
 5 Si galeas, enses, clypeos, tormenta, sagittas :  
 6 "Mars ferus hic acies duraque tela movet."  
 7 Si vates, "Regnat Phoebus", si candida pictae  
 8 dogmata rhetoricae, "Regnat Atlantiades."  
 9 Si res et nummos, "Hilaris sors atque beata."  
 10 Si mentem et corpus, "Juppiter et Genius."  
 11 Omnia si simul haec, "Omnes dii sunt simul." Urbem  
 12 quis putet hanc omnes sunt ubi caelicolae ?

## EJUSDEM.

E3\_15 v.1 Romam tendebat, vidit te, Brixia, Gallus.  
 2 "Haec Roma est", inquit, "moenia jam video ;  
 3 arx Tarpeia caput tollit super aethera celsum,  
 4 Janiculus longe respicit Esquilias,  
 5 Flamineus ludit circus, fera pugnat arena.  
 6 Fulget imaginibus Caesariana domus."  
 7 Cui civis : "Falsum est quod credis, falleris, hospes,  
 8 Herculea est non est Brixia Romulea."  
 9 Discessit Romam, mores et moenia vidit,  
 10 clamavit : "Temet, Roma, fugis miseram !  
 11 Nunc captus, nunc sum deceptus, Brixia Roma est ;  
 12 hic fama est, illic res viget. Urbs, valeas !"

## EJUSDEM.

E3\_16 v.1 Brixia qui dicit Veneto servire leoni  
 2 te nescit quid sint regna nec imperium ;  
 3 non servit qui vult, servit servire coactus.  
 4 Qui servit, bello vincitur aut emitur ;



5 te ducibus Venetis non victa aut empta dedisti.  
6 Non igitur serva es, Brixia, sed socia.

## EJUSDEM.

E3\_17 v.1 Herculeae populos aliis cur maximus urbis  
2 praeponat Veneta qui deus arce sedet  
3 scire cupis : fulvum praeponit, sedulus, aurum  
4 argento, sterili jugera culta solo.  
5 Qui juga concutiens scindit vi jugera taurus  
6 dum nolens scindit jugera, perdit opus.  
7 Vis dicam paucis ? Natos sua pignora victos  
8 sat plusquam servos diligit, et merito.

## EJUSDEM.

E3\_18 v.1 Cum Veneris natum vidisset in arce sedentem  
2 Herculea, magni vertice nata Jovis  
3 clamavit : "Celer hinc fugias, scelerate Cupido !  
4 Si nescis, solam Brixia me celebrat."  
5 Cui Veneris natus : "Faciles mea jura puellae  
6 servant, te celebrat vir gravis atque senex ;  
7 quae mea sunt, tua sunt, urbs quae nunc tollit amorem  
8 est nimis inculta simplicitate rudis".

## EJUSDEM.

E3\_19 v.1 Pyramides tollat Memphis, jactentque honores  
2 maxima quae magnae templa decent Triviae ;  
3 laudet Arionias rupes Parnassica sedes,  
4 Punica cornigerum laudet arena Jovem ;  
5 mirentur tumuli regis miracula Cares.  
6 Miretur sub se Brixia quicquid habet :  
7 pyramides, thermas, circos, delubra, colossos,  
8 rostra, palatinas tecta superba domos.  
9 Omnia nam superant haec artem ; credere posses  
10 vix oculis ; urbs est Brixia quicquid habet.  
11 Mirari decet hanc quae tot miracula claudit.  
12 Nobilis haud uno munere nobilis est.

## IN BOMBARDERAM.

E3\_20 v.1 Forte petit summos dum Bombardera Penates  
2 ut Phoebi radiis humida lina daret.  
3 Astra timens caeli ne scandetur aurea, celsis  
4 praecipitem tectis hanc Venus alma dedit.  
5 "An mea tecta coles ? An te Mars noster amabit ?  
6 An, me deposita, tu Venus, inquit, eris ?  
7 Mortalem te disce meis sub viribus." Illa  
8 decidit. O casus candida condicio !  
9 Hoc decus est ingens ; quid plus sibi femina posset  
10 quaerere quod Venerem reddere zelotypam ?

## IN CANTHARUM.

E3\_21 v.1 Jura maritalis quaerit dum solvere legis  
 2 Cantharus et cunno vulnera ferre novo,  
 3 uxoris laudat mores ; hortatur amicum :  
 4 "Hanc ducas si vis ducere Penelopen ;  
 5 hanc novi, casta est, hilaris, fecunda, venusta,  
 6 pulchra, decens, facilis, sedula, cauta, sagax."  
 7 "Canthare, quod clamas, quid murmura perdis ?" Amicus  
 8 respondit, "Nimis est haec bona si tua sit.  
 9 Nolo nimis castam. Nimis dum, Canthare, laudas  
 10 ut perdas, reddis Thaida Penelopen."

## DE BELLO GALLICO, AD AUGUSTINUM BARBADICUM.

E3\_22 v.1 Mars ferox caelum tenet omne ; saevit  
 2 impetus belli sceleratus ; ardet  
 3 ira, vesano rabies tumultu  
 4 concutit arma.  
 5 Excitat flammam odium latentes,  
 6 livor inflatos animos cruentat ;  
 7 aestuat dirus furor et malignus  
 8 ardor habendi.  
 9 Furta de furvis saliunt cavernis,  
 10 caeca de caecis latebris rapina,  
 11 tollit e saevae gremio Megaerae  
 12 vis caput atra,  
 13 induit luctus piceos amictus,  
 14 cote letales acuit cruenta  
 15 quae rapit mundum fera trux sagittas  
 16 et capit ensem.  
 17 Fugit horrendis stimulata telis  
 18 pax, sibi vultus lacerans modestos,  
 19 aequitas, leges, pietas fidesque  
 20 terga dedere.  
 21 Cantabros, Celtas, Arabes, Sicambros,  
 22 Sarmatas, Thraces, Cilices, Sabaeos  
 23 qui bibunt clarum quoque fabulosi  
 24 flumen Hydaspis,  
 25 Pallados pectus Latium furentis  
 26 in ferum mittit, sonitu remugit  
 27 Inachus, Nilus, Tanais, Garumna,  
 28 Ister, Iberus.  
 29 Sudat Aetnaeis Siculus caminis  
 30 dum faber tundit galeas et enses,  
 31 sudat, ardenti retrahens ab igne  
 32 tela, Pyragmon.  
 33 Parthus armatur, capit arma Dacus,  
 34 Cecropis gentes, Ephyres coloni,  
 35 Colchicus miles, Pelopis nepotes  
 36 proelia clamant.  
 37 O sacrum crimen ! Cecidit potentis  
 38 Romuli regnum sine clade turmis  
 39 Gallicis caedens, posuit quod orbem  
 40 sub juga totum,  
 41 Porsenae quod non potuere vires  
 42 maxime Pyrrhi populusque fortis,

43 Hannibal longo superare bello,  
 44 nec Mithridates.  
 45 Barbarum vulgus domat ; incruenta  
 46 gloria tellus Fabii, Camilli,  
 47 Caesaris magni, Curii, Catonis,  
 48 tam cito victa est ?  
 49 Proh pudor, Martis generata proles  
 50 sanguine invicto patitur catenae  
 51 ferre captivo violenta collo  
 52 vincula durae.  
 53 Non nitet claris solet ut triumphis  
 54 urbs Remi, celsae cecidere tures,  
 55 porticus, circi, fora, templa, thermae,  
 56 rostra, colossi.  
 57 Rex fugam cepit Calabrum timore  
 58 pulsus imbelli ; Silarum, Galesum,  
 59 Aesarum, Lirim, Tiberimque Gallus  
 60 possidet acer.  
 61 Tusca gens servit, titulos Volatrae  
 62 Senaque claros posuere ; plorat  
 63 Flore quae pulchro miseranda pulchrum  
 64 nomen habebat.  
 65 Undique assurgunt lacrimae, dolores  
 66 poenaeque, Trojae cadet aula magnae,  
 67 ponet, o ponet Latium coronam  
 68 sceptraque captum.  
 69 Juppiter quondam velut arce summa  
 70 nubibus pressis pluviae capellae  
 71 obruit terram, scelus ob profanum  
 72 gentis iniquae,  
 73 uret ardenti truculentus igne  
 74 nuncque mortales Veneris protervae  
 75 improbos tantum Bromiique caeca  
 76 dona sequentes ;  
 77 quae diu sedes tenuit superbas  
 78 omnium mater scelerum, voluptas  
 79 tristis infernos opus est penates  
 80 ut petat acta.  
 81 Sed furit magnus leo qui marinae  
 82 Tethyos regnum tenet : unus Alpes  
 83 pellet ad Gallum gelidas inertem.  
 84 Romule, gaude :  
 85 Roma jam surget Venetis triumphis,  
 86 vincet Augustus, revocabit atque  
 87 optimos mores decus et colendae  
 88 pacis amicum.  
 89 Vincet Augustus : veniet nitore  
 90 aureo fulgens, hilaris, serenus,  
 91 annus ; in falces pia vel ligones  
 92 tela coquet pax.  
 93 Vincet Augustus : renovata celsas  
 94 urbs Remi tollet super astra tures,  
 95 porticus, circos, fora, templa, thermas,  
 96 rostra, colossos.  
 97 Vincet Augustus : Calabrum sub arce  
 98 dux sedet pulsus, Silarum, Galesum,  
 99 Aesarum, Lirim, Tiberimque Gallus  
 100 deseret acer.

101 Vincet Augustus : titulos Volatrae  
 102 Senaque claros capient, canetque  
 103 Flore quae pulchro celebranda pulchrum  
 104 dat sibi nomen.  
 105 Dicite, o gentes igitur Latinae  
 106 carmen, Augusti recinens honores ;  
 107 tuque cum Marco faveas Latinis,  
 108 maxime Caesar.

## DEFLET CAPELLUM AMICAE.

E3\_23 v.1 Saeva canem nostrae rapuerunt fata puellae,  
 2 qui superi nimium deliciosus erat.  
 3 Nam candore nivem caelo quae nuper ab alto  
 4 decidit et violas et superabat ebur.  
 5 Fulmineo non dente ferox, non ore minaci,  
 6 non oculis saevus, non truculentus erat,  
 7 sed pius et mitis latratu blandus amico  
 8 lambebat positas ad sua terga manus ;  
 9 et, quod vix credes, gemino pede stare solebat  
 10 erectus, gemino jussus et ire pede.  
 11 Cantabat jussus cantantem verba putasses  
 12 dulciter humana dulcia verba loqui.  
 13 Servabat positas epulas mensamque paratam  
 14 astringens animi tristia vota sui,  
 15 deficere et potius jejunus morte volebat  
 16 quam nisi cum domina deposuisse famem,  
 17 hujus in amplexu recubabat et hujus in ore  
 18 carpebat niveo candidus ore cibos.  
 19 Currebat velox, stabat, veniebat, abibat,  
 20 nequitiis dominam saepe petendo suis.  
 21 Egregiis potuit si tot virtutibus uti  
 22 hic canis, ingenium quis negat esse feris ?

## VILLA CLARA.

E3\_24 v.1 Si cur Clara vocer, Victor qui me regit, haeres  
 2 non aures tibi sunt, non tibi sunt oculi.

## AD LUDOVICUM MARTINENGUM.

E3\_25 v.1 Jugera pampineo tetigi cum grata Lyaeo,  
 2 quaeque colit, veluti Gargara culta Ceres,  
 3 ad tua venissem sublimia marmore tecta,  
 4 tecta Palatinae Caesariana domus ;  
 5 sed timui Martis nomen letale cruenti,  
 6 nec mirum est ; Martis sunt fera tela nimis.  
 7 Centimanus timet illa Gyges, timet illa Typhoeus  
 8 et fera quae Nessus spicula saevus agit.  
 9 Sed postquam sensi doctis te ludere Musis  
 10 hic ubi Parnassus surgit ad astra biceps,  
 11 Pallados et dulces meditari carmine cantus  
 12 aegide cum posita plectra lyramque movet,  
 13 ad te nunc veni : Pallas nam candida Marti  
 14 juncta fero, Martem non sinit esse ferum.

## AD FAUSTINUM MAZANUM, DE FIGURA CIRCULI.

E3\_26 v.1 <....> nobilior quae sit, Faustine, figura (vers lacuneux)  
 2 dignior ardenti pectore scire cupis.  
 3 Circulus est : caeli convexum cerne cacumen,  
 4 orbe rotundato sidera quaeque micant.  
 5 Taliter ardentis currit rota flammea solis  
 6 taliter obscura Cynthia nocte micat.  
 7 Sufficit ista sibi, sese tenet, omnia claudit  
 8 quae capit, haec tota est corporis una sui.  
 9 Deficiunt aliae ; formas premit angulus omnes,  
 10 spargitur angustos destruit atque sinus.  
 11 Ergo sapis formae sequeris qui dona rotundae  
 12 ut maneat : sed fac circulus ut maneat.

## IN CRESPINUM.

E3\_27 v.1 Quisquis ab Aonio sacras Helicone sorores  
 2 ducit ad argutae fila canora lyrae,  
 3 cristatus galea, clipeo praesignis et hasta  
 4 pro miseris subeat bella cruenta deis,  
 5 his quoniam parva clausit Crespinus in arca  
 6 plectra, lyram, tripodas, flumina, sarta, choros,  
 7 et jubet angusta sub pixide ferre choreas,  
 8 ludere, praecipites currere per salebras,  
 9 texere sarta, dapes instructa sumere mensa,  
 10 inque novem thalamis disposuisse toros.  
 11 Currite, nam scelus est ingens, quas Delphica claudunt  
 12 nec juga grammatica sub nuce stare deas.

## EPITAPHIUM MARCELLAE.

E3\_28 v.1 Qui legis hos tacito percurras murmure versus,  
 2 otia ne somni dulcia voce fuges,  
 3 mortua non jacet hoc quoniam Marcella sepulchro,  
 4 sed dormit longae fessa labore viae.  
 5 Non moritur matrona tori quae servat honorem  
 6 quaeque nihil dignum vulnere mortis agit.

## STEPHANO GRAMATICO.

E3\_29 v.1 Si scelus est in me, feriant me fulmina summo  
 2 ignea quae veniunt cum tonat orbe deus ;  
 3 urat et exardens Siculis me flamma caminis  
 4 cum fera turbatus concutit arma faber.  
 5 Scylla meum laceret corpus laceretque Chimaera  
 6 quae vomit et tumidas caeca Charybdis aquas.  
 7 Non durant sub sole nives, virtute sub ipsa  
 8 et scelus et moriens caeca libido cadit.

## MERCURIUS ALLOQUITUR SIGISMONDUM GONZIACUM.

E3\_30 v.1 Tus redolet, sonat aes, sidus sum solis amicum.  
2 Placantur superi lumine, ture, sono.

## IN PETRUM ADVOCATUM.

E3\_31 v.1 Res stabilis nulla est sub caelo ; florida campis  
2 herba velut curvo vomere pressa cadit,  
3 solvitur in zephyros mortalis vita. Sepulchri  
4 certa dies, fluctus nos rapit ad Stygios.  
5 Rustica quae Petrum, non Petrum dextra peremit ;  
6 qui gladio periit, non periit gladio.  
7 Hunc sors, hunc saevo mactavit vulnere caelum,  
8 hunc nimium fati perfida condicio.  
9 Ex alto quicquid patimur venit, omnibus est mors  
10 non vario magni pectore scripta Jovis.

## AD EUMDEM.

E3\_32 v.1 Quid fles, quod fodit me vulnere rusticus ? Ipse  
2 me fodi, non me perfidus agricola.  
3 Hunc vidi, poteram veloci cedere cursu ;  
4 non cessi, tenuit me mea vis animi :  
5 non me cedentem formidans cuspide fixit.  
6 Tunc cecidi, fuit hoc cedere non cadere.  
7 Rustica tela fugit qui ne moriatur inermis,  
8 rusticus obscuro funere bis moritur.  
9 Nec mihi cor damnes ; poterat nam perdere vulnus  
10 atque meo vitam perdere sub gladio.  
11 Vulnere certa dedit ; perii, fuit inclyta virtus  
12 qua mansi moriens ; sors fera qua cecidi.

## AD MARCUM SANUTUM.

E3\_33 v.1 Praetor habet nummos et pingua jugera : quid tum ?  
2 Mundinus nummos ruraque dives habet,  
3 veste tegit corpus tincta bis murice : quid tum ?  
4 Se coquus et tonsor veste tegunt rosea ;  
5 fert gemmas, auri fert maxima pondera : quid tum ?  
6 Fert aurum et gemmas cerdo, faber, lanus.  
7 Describit caelos, describit sidera : quid tum ?  
8 Et sacer et magnus dicitur astrologus.  
9 Scit rerum causas, naturae dogmata : quid tum ?  
10 Hunc gens quaeque novum dicit Aristotelem.  
11 Consulit, auget, alit, prodest, dat munera : quid tum ?  
12 Asserit hunc Veneta quilibet urbe patrem.  
13 Cum multis populo similis, popularis et ipse est ;  
14 cum paucis deus est atque sibi similis.

## AD EUMDEM.

E3\_34 v.1 Cum procul a patria video te, Marce, senatum  
2 aspicio Venetum tunc procul a patria.

3 Te sine cum Venetum propria sub sede senatum,  
 4 nec te nec vultus, Marce, tuos video.  
 5 Hoc decus est magnum : totum capis ipse senatum  
 6 et patriam, non te totus uterque capit.

## AD EUMDEM.

E3\_35 v.1 Quisquis avet caeli veloces noscere cursus,  
 2 tristia Saturni sidera, laeta Jovis,  
 3 aetheris obliquos axes quos nubilus Auster,  
 4 quos videt Arctoi Parrhasis ursa poli,  
 5 consulat hic Marcum Sannutum. Taliter aere  
 6 omnia nam fulvo sidera composuit,  
 7 se magis ut tali miretur Jupiter orbe  
 8 quam vero veram credat et esse domum.  
 9 Nec se decipiat, quoniam movet ordine recto,  
 10 se peragens variat temporis atque vices.  
 11 Tempore vivemus longo ; nam Juppiter unus  
 12 est geminus, geminum se quoque mundus agit.  
 13 Juppiter ipse Jovis vitae dat munera, Marci  
 14 dat quoque ; mortales mundus uterque fovet.

## AD MARCUM ANTONIUM MAUROCENUM.

E3\_36 v.1 Pulcher es et nitidus : quid tum ? Natura probatur  
 2 talia quae potuit munera ferre tibi.  
 3 Dives es et nitidus : quid tum ? Fortuna probatur  
 4 talia quae potuit munera ferre tibi.  
 5 Praetor es et clarus : quid tum ? Gens clara probatur  
 6 talia quae potuit munera ferre tibi.  
 7 Pulcher es et castus : quid tum ? Tu, Marce, probaris  
 8 qui jungis formae dona pudicitiae.  
 9 Dives es et largus : quid tum ? Tu, Marce, probaris  
 10 qui dives rapidam spernis avaritiam.  
 11 Praetor es et justus : quid tum ? Tu, Marce, probaris  
 12 munera qui fugiens jura fidemque colis.  
 13 Res magna est : cum sis pulcher divesque potensque,  
 14 sis castus, justus, sis pius atque probus.

## AD HELIAM CAPREOLUM.

E3\_37 v.1 Non ego quae poscis merito tibi dulcia mitto  
 2 carmina, ne rumpam foedus amicitiae.  
 3 Sancta fides vult hoc ut dicat amicus amico :  
 4 "Quae mea sunt, tua sunt". Tu tibi sume tua.

## AD PETRUM MARTIREM, MAGISTRUM LUDI ET POETAM.

E3\_38 v.1 Quid fles, quid querulis cies profundi  
 2 lamentis nitidos lares Olympi,  
 3 aures quid Jovis incutis beatas ?  
 4 Marcellae tumulus tuae quod ossa  
 5 parvus candida continet ; diemque  
 6 quod clausit tenero tenella cursu.

7 An nescis rapidos rotae volatus  
 8 fatorum genus omne quod sub astris  
 9 vivit praecipiti sequi ruina ?  
 10 Quisquis nascitur antequam serena  
 11 spectet sidera, natus illa spectat,  
 12 stat, currit, loquitur, tacet, quiescit.  
 13 Nondum mortuus et jacet sepultus.  
 14 Fixus terminus est necis ; dierum  
 15 signavit numerum Pater deorum.  
 16 Exorant Stygias preces sorores,  
 17 nullae non precibus moventur astra.  
 18 Non plus vivere sordibus sub istis  
 19 Marcellam decuit, pati nec orbis  
 20 virtutes potuit sinu tot amplas  
 21 terreno : tenera gravis juvena,  
 22 clemens, casta, pudica, munda, simplex,  
 23 nam pulchro fuit et decora vultu.  
 24 Sublimes igitur domos opacas  
 25 has linquens petiit beata ; fas est  
 26 summos scandere nam deos penates.

AD MAXIMILIANUM IMPERATOREM.

E3\_39 v.1 Magna parant summos Latii tibi regna triumphos,  
 2 te manet Ausonii regia quaeque soli.  
 3 Romulei te jura petunt veneranda senatus,  
 4 Te senis anguigeri sceptrata beata vocant.  
 5 Quid dubitas ? Jam tempus adest. Rex inclyte, quid stas ?  
 6 Jamdudum tardas litore solve rates !  
 7 Ecce levis placido tibi murmurat aura susurro,  
 8 nullaque sedato tollitur unda mari.  
 9 Poscit equus frenum, clypeos et tela cohortes.  
 10 Viribus a nullis spicula missa volant,  
 11 per se letalis vagina liberat ensis,  
 12 per se balistae moenia pulsat onus.  
 13 An melius Phrygiae Berecynthia cymbala matris  
 14 tympanaque Ismarii sollicitare dei ?  
 15 Adde quod aeratas superum facit ira sagittas  
 16 in sua crudeles viscera ferre duces.  
 17 Quid stas ? Rostra gemunt, plorant Capitolia, strident  
 18 Esquiliae, Petri limina, templa Jovis.  
 19 Imperium Romae si jam tibi Roma dicavit,  
 20 an pateris regni jura perire tui ?  
 21 Magnus magna facit : tu, maxime, maxima ; tandem  
 22 pro Roma, Caesar, Caesaris arma cape.

AD LEONICUM PATAVINUM.

E3\_40 v.1 Scribis carmine dum meae puellae  
 2 vultus sidereos, comas nitentes,  
 3 pectus candidulum, pedem tenellum,  
 4 argentum, violas, ebur, colostrata  
 5 quae vincit niveo colore dextra  
 6 illam sic proprio decore formas  
 7 ut vivas habeat duas figuras.  
 8 Haec est candidior puella cygno,



9 haec est lampade clarior serena,  
 10 haec est carior Indicis lapillis,  
 11 haec est quae grege mollior petulco.  
 12 Ridet bellula, bellule jocatur.  
 13 Currit per virides proterva campos,  
 14 cervos et lepores agens fugaces.  
 15 Haec est Tyndaris aureos capillos  
 16 cui quondam dedit aemulam rosisque  
 17 Paestanis faciens Venus venustam.  
 18 Qui fulgent oculos magis vel axe  
 19 Phoebi tergora cum micant Leonis,  
 20 Pallas pectora, brachium Diana.  
 21 Hic omnes Veneres Cupidinesque  
 22 spargunt cinnama flosculosque nardi,  
 23 narcissum, cassiam, crocum, ligustra.  
 24 Tendunt retia, dirigunt sagittas,  
 25 hamos melle tegunt et ore fundunt  
 26 dulci nectare dulcius venenum.  
 27 Non chartam video, lyram sororum  
 28 nullam sentio, carminisve cantus  
 29 doctos perlego. Delicata, mollis  
 30 quae jam carta fuit, puella nunc est.  
 31 Illa est quae loquitur, citat sorores  
 32 quae castas, cithara canitque Phoebi  
 33 concentus querulos. Silet tabella ;  
 34 Musae carmina cantat illa, laudes  
 35 versu sola suas suamque formam.  
 36 Se tollit, veneratur aut adorat.  
 37 Arridet sibi mitis et pudica.  
 38 Felix pagina, litterae beatae  
 39 quas nympham tulit in meam Cupido ;  
 40 tu felicior arduas Corinthi  
 41 quis scandens salebras chelymque tangens  
 42 formosam, generas deam genisque  
 43 vincit lilia picta. Quo poetam  
 44 non te, sed merito deum putabo.

IN CIVES FAVENTINOS.

E3\_41 v.1 Quis vos tam subitus casus movet, unde tumultus  
 2 nascitur hic cives ? Frigidus unde timor ?  
 3 Vos, veluti muros tormentis rumperet hostis,  
 4 armatos media Cynthia nocte videt.  
 5 Tympana dant sonitus, sonitus dant cornua, saxis  
 6 cingitur arx, vallum tollitur, aera fluunt.  
 7 Quis furor, o miseri ? Numquid Telamonius Ajax  
 8 fortis et Alcides bella cruenta parant ?  
 9 Mars ridet, ridet concussa Gorgone Pallas  
 10 adversus lemures spicula quod capitis.  
 11 Ah, pudeat ! Nam quem terrent insomnia dormit  
 12 et vigilans nescit tempore quo vigilet.

OMNES ITALIAE REGES VENETIS POSTPONIT.

E3\_42 v.1 Quid faciet Calabrum Veneto sub Marte tyrannus ?  
 2 Jugera quod nummis cum sine pauper emit.

3 Ast pater arma movet si maxima maximus : illud,  
 4 orgia quod miles mystica concelebrat.  
 5 Vipera si virus vomat horrida pectore, regis  
 6 nil, quoniam Ponti pharmaca Marcus habet.  
 7 At leo si Tuscus ruat agmen in omne cruento  
 8 dente, quod exoptans vincere rana bovem.  
 9 Est opus ut pereant Volsci, pereantque Sabini,  
 10 Ardea, Samnites, Tiburius arx, Stabiae  
 11 si nova Saturni justo sub foedere debet  
 12 imperii sceptrum tollere Roma suum.

## IN SYLVIAM.

E3\_43 v.1 Cur tibi sum vilis, si me mihi carior es tu ?  
 2 Sylvia, num legis lex habet ista modum ?  
 3 Respondes : "Roseo facies mihi pulchra decore est,  
 4 auratae quatiunt lactea colla comae,  
 5 aemula labra rosis habeo, rutilantia Phoebi  
 6 luminibus vinco lumina sidereis.  
 7 Stemmata me claram reddunt, redduntque beatam  
 8 et domus et culti jugera laeta soli.  
 9 Tu niger es, vili productus sanguine, pauper ;  
 10 res tam sejunctae non bene conveniunt."  
 11 Sum, (fateor) vilis, pauper, sed fidus amicus,  
 12 et formam et nummos recta fides superat.  
 13 Corporis haec bona sunt : res, sanguis, lumina, <vultus> (vers  
 14 talia qui curat nil habet hic animae. lacuneux)

## IN EAMDEM.

E3\_44 v.1 Inter spem crucias et me quid saeva timorem,  
 2 inter tristitia laetitiaque jocos ?  
 3 Tam varii mores me perdunt ; aequoris undae  
 4 non tam diversis motibus astra petunt.  
 5 Aspice, sidereo fulget qui lumine Titan  
 6 firmavit certis omnia temporibus.  
 7 Dum Philomela canit, vario dum gramine tellus  
 8 vestitur, gelida non nive prata rigent.  
 9 Falce metit curva gravidas dum messor aristas,  
 10 vina fluunt duro non pede pressa lacu.  
 11 Dum laeta es, ternis saltem sis laeta diebus  
 12 et te tot luces tristitiae teneant.  
 13 Vel mihi sis semper crudelis et improba ne sit  
 14 inter purpureas nix glomerata rosas.

## PRAEPOSIT VENETIAS CETERIS URBIBUS PRAESTANTIA ET MAJESTATE.

E3\_45 v.1 Regia clara fuit Xerxis Nilotica tellus,  
 2 clarior urbs muris cincta Semiramiis.  
 3 Pulchra Samos, pulchrae Tyriae Carthaginis arces,  
 4 pulchrior auratis Roma superba comis.  
 5 Nomina nunc tantum sunt maxima ; diripuit rem  
 6 ambitio, regni caeca cupido, furor.  
 7 At quae nunc Venetis tollit se Roma sub oris,  
 8 omnibus his major, clarior omnibus his.

9 Imperio vicit Gallos, superavit Iberos,  
 10 inter delicias nec miseranda cadet.  
 11 Nam se sola fovet, sibi consulit, omnia sub se  
 12 continet et tantum publica dona colit.  
 13 Ex patribus nemo est dictator, nemo magister,  
 14 imperium nullis, omnibus imperium.  
 15 Sic stant regna patres praeponunt ordine quando  
 16 publica privatis munera muneribus.

EXHORTAT TURCUM, UT SENATUS VENETI SIGNA CAPIAT.

E3\_46 v.1 Turce, quid exspectas ? Veneti cape signa senatus,  
 2 victor et invicti tela Leonis age.  
 3 Non titulos quaeras, ferias non foedera, pactis  
 4 convenias nullis, munera nulla pete.  
 5 Foedera nam servant Veneti sine foedere ; pactis  
 6 non eget intacto numine sancta fides.  
 7 Non quaeras titulos et clarum nomen habebis,  
 8 non poscas tacito plurima dona dabunt.  
 9 Magnanimus cogi non vult leo ; parva rogatus  
 10 munera dat, magnis maxima sponte viris.

MONET EUMDEM NE SUB TYRANNIS MILITET.

E3\_47 v.1 InclYTE quid dubitas princeps ? Servire tyranno  
 2 si cupis, immerito regna tyrannus habes.  
 3 Deceptus totiens qui servit, fallere fas est.  
 4 Odit avis laqueos aucupe capta semel.  
 5 Non aurum capias, fulvo latet anguis in auro,  
 6 sperne preces, claudunt dulcia verba dolos.  
 7 Non lacrimis credas, parat improbus ore cruento  
 8 perdere te, lacrimas dum crocodillus agit.

IN SYLVIAM.

E3\_48 v.1 Sylvia, si nostri non te movet improba fati  
 2 condicio, saltem sors tua te moveat.  
 3 Non ego sum qui sum, vitam servare cadentem  
 4 non mihi sed propter, Sylvia, te cupio.  
 5 Est tua nam cordis si dulcia pignora perdo  
 6 res mala ; te damni, me dolor anget atrox,  
 7 immo dolor crucians nimium violentus et acer  
 8 et damni perdent, Sylvia, te miseram.  
 9 Si non inspicias igitur, duo sub Styga corda  
 10 mors simul atque animas distrahet una duas.

IN CUPIDINEM DORMIENTEM.

E3\_49 v.1 Est quia non tantum caecus, sed dormit amator  
 2 dum vigilat, scopulus frigidus immo riget,  
 3 isto dormit Amor scopulo. Sors tristis amantum,  
 4 illorum est somnus vita, quies scopulus.

## JOANNI MATHEO AVEROLDO.

E3\_50 v.1 Si quis bina mihi sestertia mittere tentat,  
 2 declamas : "Sunt haec munera parva nimis."  
 3 Si quis purpureo saturatas murice vestes,  
 4 declamas : "Sunt haec munera parva nimis."  
 5 Carpathio si quis natas in litore conchas,  
 6 declamas : "Sunt haec munera parva nimis."  
 7 Sardonychis si quis grandes grandesque smaragdos,  
 8 declamas : "Sunt haec munera parva nimis."  
 9 Argentum, mensas, aurum, chrysendeta, vernas,  
 10 jugera, declamas : "Omnia parva nimis."  
 11 At quidcumque mihi dat hoc pro munere magnum est.  
 12 Gausapa magna satis, paenula magna satis.  
 13 Quas mihi Croesus opes furiosa mente negavit,  
 14 haec mihi sunt, haec sunt munera parva nimis.  
 15 Illa quibus careo non sunt mihi munera toto,  
 16 quod non dant plus est, sat mihi dimidium.

## AD LUCAM LANAM.

E3\_51 v.1 Laurus erat juveni quondam gratissima Phoebo,  
 2 quondam, Bacche, tibi Bacchica vitis erat ;  
 3 munere Palladio pinguis surgebat oliva,  
 4 Herculis Herculeis populus alba comis.  
 5 Jam Veneri myrtus, Cybelae carissima pinus  
 6 jam Corcyraeo poma fuere duci.  
 7 Nunc rosa Phoebeis pro ramis candida vivit,  
 8 pro myrto niveas vult Cytherea rosas.  
 9 Pallentes hederæ vestit rosa picta corymbos  
 10 quæ casiam, quæ tus, quæ meliloton olet.  
 11 Orphea dulcisonum potuit fecisse poetam  
 12 pocula cui nondum Pegasis unda dabat.  
 13 Fecit Arionios Meliboeum promere versus,  
 14 Tityron et dulcem sollicitare lyram.  
 15 Marmorea plus est aurum deducere caute,  
 16 plus est si duro marmore fiat ebur  
 17 India quam si det, quam si per caeca latentes  
 18 viscera telluris effodiantur opes.  
 19 Divinos viridi laurus non fronde poetas  
 20 divinos viridi quos rosa fronde facit  
 21 nobilior vis est de non fecisse quod est est,  
 22 hoc est quam si quis quod fuit esse facit.  
 23 Lux veluti superat tenebras et nubila Phoebus  
 24 excedunt virides laurea serta rosae.

## IN LENTINAM.

E3\_52 v.1 Qui tibi jam gemini fuerant, Lentina, parentes,  
 2 non tibi sunt gemini vivat uterque licet.  
 3 Est tibi nam qui te genuit, qui semine sparso  
 4 te fecit ; genitor nec tamen ille tibi est.  
 5 Est tibi quæ gravida mater gestavit in alvo  
 6 te natam, mater nec tamen illa tibi est.  
 7 Vir non est genitor, non est sua filia, conjunx  
 8 non matris nata est quam vidit illa nurum.

9 Portentum est ingens, matres, non nata parentes  
10 quos habet ista duos non habet ista duos.

JOANNI MATHEO AVEROLDO.

E3\_53 v.1 Te sine cum vivo, me vita precaria servat,  
2 non quam nascenti fata dedere mihi.  
3 Haec nam te sequitur tecum vigilatque cubatque  
4 componit, dictat, scribit, agit, loquitur,  
5 et quoniam propriam fas est ut quisque salutem  
6 et vitae quaerat candida fila suae,  
7 ad me vel venias, veniam vel sedulus ad te.  
8 Dimidium cordis vel mihi redde mei.

IN VIANINUM MARISCALCHUM.

E3\_54 v.1 Nata, Viane, tibi sunt consule vina Camillo  
2 imperioque Numae, pauper es ipse tamen.  
3 Pinguia centenis exerces jugera bobus  
4 Niliacum munus, pauper es ipse tamen.  
5 Gallicus innumeras tondet tibi rusticus agnas  
6 quas tibi Parma dedit, pauper es ipse tamen.  
7 Dat tibi pulchra Tyros, dat vellera <...> Tarentum (vers lacuneux)  
8 Annibalisque domus, pauper es ipse tamen.  
9 Scis quoniam ? Posito tibi conchis inuncta voratur  
10 pisce, gerunt medio quem Phaetontis aquae  
11 et quae circaeae lautis fugis ostrea mensis,  
12 et tua quae volucris nomina, Phasis, habet,  
13 Non alicae panes, non quas tibi terra placentas  
14 Picentina dedit sed faba dura placent,  
15 et resinatum pro vino sumis acetum  
16 et quae Massiliae lurida fumus agit,  
17 et quae purpurea deberes corpora palla  
18 cingere, Leuconico cingis, avare, sago.  
19 Pauperior, miser, est nummo te divite ; namque  
20 est plusquam pauper qui caret hoc quod habet.

IN MAUROCENAM PORTICUM.

E3\_55 v.1 Magna ruina fui, nunc porticus inclyta spector.  
2 Cur ? Maurocenae me posuere manus.

IN EAMDEM.

E3\_56 v.1 Ne timeas soles, timeas ne, frigidus, imbres ;  
2 Maurocenus agit hoc tibi Marcus opus.

IN THALAMUM EJUSDEM.

E3\_57 v.1 Me thalamum renovat Marcus ; quia jura novavit  
2 ex Mauroceno sanguine primus honor.

## MARCO ANTONIO SABELLICO.

E3\_58 v.1 Non tantum pueri gaudent teneraeque puellae,  
 2 non tantum veteres te veniente patres,  
 3 sed Veneris myrtus, longa sed populus alno,  
 4 sed loca quae sensu, quae ratione carent.  
 5 Ecce, movent facilem blando tibi murmure caudam  
 6 qui truculenta solent vulnera ferre canes.  
 7 O quam magna tui est praestantia candide vultus,  
 8 Marce, feras mites qui facis esse feras !

## AD MARCUM SANUTUM.

E3\_59 v.1 Promisit taurum Phoebo, promisit aquarum  
 2 numinibus justo sanguine tota domus,  
 3 Aeolios facerent rupto si spargere caelo,  
 4 nubibus expressis, flumina larga notos ;  
 5 tura dedit superis, cumulavit honoribus aras  
 6 ne thalamos posset linquere, Marce, suos.  
 7 Desine mirari : facit hoc reverentia. Quem vis  
 8 justitiae celebrent gens nisi justa patrem ?

## EIDEM.

E3\_60 v.1 Vis doceam gelidos te pellere, Marce, Triones,  
 2 quaeque facit Boreas nubila quaeque Notus.  
 3 Dic Arabum sedes, dic te Rhodopeia regna  
 4 quaeque vident geminos velle subire polos,  
 5 et mox sidereum fieri spectabis Olympum.  
 6 Nam Boreas placido stabit et ore Notus.  
 7 Quid cupient homines, cupiunt si cernere venti  
 8 te quoque quos flantes aequora surda timent ?

## EIDEM.

E3\_61 v.1 Non poterat laqueis pisces non ducere saetis  
 2 piscator medio flumine tristis aquae  
 3 et cum clamasset : "Quo me sors improba pellis,  
 4 heu tibi quam cenam, candide Marce, paro !",  
 5 mugilis, auratae, rhombus, mullusque lupusque  
 6 tunc manibus flentis se tribuere viri,  
 7 sic voluere mori tanto pro laudis honore.  
 8 Est decus egregio succubuisse viro.

## BLANCO COMAE.

E3\_62 v.1 Cristatae cantant volucres et, Blance, sepultum  
 2 te quoque sub dubia sidera nocte vident.  
 3 Effigies mortis sunt somnia tristia : surge,  
 4 nam veniet celeri perniciose pede ;  
 5 vive tibi dum tempus adest : cur, improbe, dormis ?  
 6 Ante necem, mortis vis fera tela pati.

## EIDEM.

E3\_63 v.1 Heu doleo quoniam tibi dulcia somnia rupi,  
2 somnia quae Veneris munera grata ferunt.

## PRAEAPONIT VENEREM PALLADI.

E3\_64 v.1 Spectasset nudam Venerem cum bellica Pallas  
2 et natos pariter quos tulit illa duos,  
3 "Haec armis Martem", dixit, "si vincere nullis  
4 armisonum potuit fulmineumque Jovem,  
5 quid faciam saeve quatiens ego cuspidis hastam  
6 saxificum durae Gorgonis atque caput ?"  
7 Tunc Venus ostendens illi faciemque manusque  
8 brachia, crura, pedes, pectora, colla, femur,  
9 quis rosa Paestanis cedit generata sub arvis,  
10 argentum, violae, cana ligustra, nives,  
11 rettulit : "Haec frangunt loricas, aegida, fulmen.  
12 Nos armis tegimur, corpus inerme tuum est."

## IN VITELLUM.

E3\_65 v.1 Tithoni croceum senis cubile,  
2 Aurora aurigeris comis refulgens  
3 jam surgit roseosque clara vultus  
4 ostendit, Phaethontis et citatis  
5 currunt flammigeri rotis jugales,  
6 et tu stertis adhuc, miser Vitelle.  
7 Tractant causidici forense bellum,  
8 actor sollicitos vocat clientes,  
9 et tu stertis adhuc, miser Vitelle.  
10 Thermarum sonat aes, lavamur omnes ;  
11 flet tristis Pharium bovem sacerdos  
12 et tu stertis adhuc, miser Vitelle.  
13 Lauti prandia praeparant ministri,  
14 ad mensam veniunt dapes secundam  
15 et tu stertis adhuc, miser Vitelle.  
16 Te non ergo, velut decet, "Vitellum"  
17 ullus sed "vitulum" vocet "marinum" ;  
18 es tu nam vitulus, nec es vitellus.

## IN GALLOS.

E3\_66 v.1 Gallus in humanos pugnat crudeliter hostes  
2 ut lupus in placidas sanguinolentus oves ;  
3 materno pueris non parcit ab ubere raptis  
4 sed trahit hos saeva dilaceratque manu ;  
5 audet et insontes gladio mactare puellas  
6 crudelis, tumulum Pyrrhus ut ante patris,  
7 imbelles quos curva facit tremulosque senecta  
8 saevus et in sanctos tela movere patres ;  
9 et nostrum sitiens ut tigris acerba cruorem  
10 gaudet cum madidam sanguine spargit humum.  
11 Miraris forsane ? Cybeles facit ista, furore  
12 cujus ab insano nomina Gallus habet.

## IN VITELLUM.

E3\_67 v.1 Ventri qui faveat suo procaci  
 2 et latam dapibus gulam superbis  
 3 oblectet vetulo madens Falerno  
 4 nonnullus magis est meo Vitello.  
 5 Hic, cum stragula linquit et cubile,  
 6 ad cellam pedibus volat citatis  
 7 et tres quattuor aut bibit trientes  
 8 Bacchi consule nobilis Camillo,  
 9 consumpta prius aridae selibra  
 10 carnis, quae suis est vel est juvenci.  
 11 Cum cenam domino parant ministri,  
 12 arridens parasitus ut protervus  
 13 gallinae geminas nates et amplam  
 14 cervicem, leporis fugacis armos  
 15 et cirros rapit unctus ostreorum ;  
 16 haec et cuncta simul vorat lupinam  
 17 implens ingluviem tenuis palato.  
 18 Nuper viderat anserem quod unum  
 19 lato pectore cereisque lumbis,  
 20 tam dire miser esurire coepit :  
 21 "Anser", tempore dormiens ut atro  
 22 clamaret : "Mea lux, mei lepores,  
 23 anser bellule, corculum Vitelli,  
 24 o quot basia dulcibus labellis  
 25 infingam tibi cum cocus parabit  
 26 te coctam domino ! Anser, anser o mi,  
 27 anser candide, tutor et patrone  
 28 urbis Romuleae, decus volucrum."  
 29 "Anser", denique semper ore habebat  
 30 quo desiderio miser periret  
 31 ne tanto, posui quod appetebat.  
 32 Tunc ille ut lupus improbus voravit  
 33 pectus, colla, caput, pedes jecurque  
 34 tristi dura cani ossa non relinquens.  
 35 Proh quid caeca facit libido ventris !  
 36 In saevum tulit haec lupum Vitellum.

## LUDOVICO SFORCIAE.

E3\_68 v.1 Qui fera squamosi gestebat signa colubri  
 2 ivit ad aetherae limina sancta domus  
 3 dux Ligurum tenerae raptus sub flore juventae  
 4 ante tamen certae foedera scripta necis.  
 5 Nam dederant illi ducunt quae stamina Parcae  
 6 fatales Pylis saecula longa senis.  
 7 Sed quoniam patri pietas, praestantia, vires,  
 8 consilium, probitas, gloria, fama, decus  
 9 sidereos tetigere polos qui fecit Olympum  
 10 mutavit fati Juppiter ipse diem,  
 11 aeterno temerans praefixas ordine leges,  
 12 accelerans forti mortis et arma manu,  
 13 solveret ut meritis Ludovici praemia tantis,  
 14 et daret invicto sceptrum beata duci.



15 Immensi tandem virtus fert dona laboris.  
 16 Qui rexit tanta pro duce regna fide  
 17 dux regat ut pro se fas est : vel sidera vel mors  
 18 magnanimis reddunt munera digna viris.

## BURANE.

E3\_69 v.1 Facundo veniens choro Sororum,  
 2 quas tu pectine cum jubes eburno  
 3 carmen Pieria sonant in aula  
 4 Andini grave tibia poetae  
 5 Orpheae modulis lyraeve dignum  
 6 ad nostras tua porticus Thalia  
 7 Penei redimita fronde lauri  
 8 offendit juga Silviam sequentem  
 9 me per florida. Noscis : hanc Diana  
 10 venatrix humeris velut pharetram  
 11 pantherae maculis gerit vel lycnis  
 12 distinctam, jaculos manu potenti,  
 13 arcus cornua flexilis sinistra.  
 14 Haec illa est hilaris, jocosa, mitis,  
 15 clemens, candida, delicata, mollis  
 16 quam solam Satyri colunt procaces,  
 17 extollunt Dryades, amant Napaeae  
 18 divinum jubar Isthmiae Diones,  
 19 quae dulces superat senis querellas  
 20 cygni, carmine cum canit sonoro,  
 21 cui caedit variae decore pennae  
 22 Argi gemmea non probi volucris.  
 23 Ludentem teneram putabis agnam  
 24 undam quae liquidi bibit Galesi,  
 25 sed gestat quia non sinu Pelorum,  
 26 Taurum, Dindyma Caspriosque montes  
 27 me discedere litteris rogatus  
 28 fas est Sylvia cum tuis notaret,  
 29 implevit lacrimis sinus abortis,  
 30 et me blandula basians Catullum.  
 31 Coepit vincere passerem Catulli  
 32 tractans deliciis Catullianis.  
 33 Felices calami, beata charta  
 34 quae tales mihi gratias tulere.  
 35 Mitte, o mitte mihi tuas Camenas,  
 36 te te saepius oro ; nam Cupido  
 37 illis sub tenet aureas sagittas,  
 38 flammam, retia, balteum, flagellum  
 39 et quicquid Gnydia manet sub arce.  
 40 Quod si scripta dabis mihi frequenter,  
 41 me grato Venus imbuet liquore.

## HIERONYMO DONATO.

E3\_70 v.1 Justitiam servare decet rectumque fidemque  
 2 sic tamen ut servant jura fidesque modum.  
 3 Dilectam nimio violavit amore puellam  
 4 indulgens animo Lygdus et ipse puer,  
 5 Bandinus viduam Pyllo jam debilis aevo.

6 Da veniam juveni, da necis arma seni.  
 7 Lex jubet ; hoc teneris merito lascivit in annis  
 8 haedus, et ante truces laeta juvenca boves.  
 9 Carcere quem claudis saevo pro crimine, crimen  
 10 non peperisse potest si peperisse potest.  
 11 Non fecisse putans faceret cum crimina crimen  
 12 non fecit ; scelus est quod facit arte senex.

IN BELTRAMUM MUTINAE PRAESIDEM.

E3\_71 v.1 Praeside Beltramo pietas celebrata probatur ;  
 2 nec tantum juris foedera saeva nocent.  
 3 Incurvat tenerum Mancinus saepe cinaedum ;  
 4 aurea dat dives munera, liber abit.  
 5 Lipperius matrem futuit, futuitque sororem ;  
 6 aurea dat dives munera, liber abit.  
 7 Transfixit jugulum domino sceleratus Achilles ;  
 8 aurea dat dives munera, liber abit.  
 9 Symmachus excelsi spoliat delubra Tonantis ;  
 10 aurea dat dives munera, liber abit.  
 11 Falsa notat falsis Marius sestertia signis ;  
 12 aurea dat dives munera, liber abit.  
 13 Proditor, cursor, praedo, fur, moechus, adulter  
 14 aurea si dederint munera nil timeant.  
 15 Vivere quisque potest Beltramo praeside : tandem  
 16 tristia non poscit funera, poscit opes.

DE BARTHOLOMEO CATANIO SUSPENSO.

E3\_72 v.1 Quo mortale genus varii nos motus Olympi  
 2 fataque legitimo foedere certa trahunt !  
 3 Credere qui poterit ? Longis jam debilis annis  
 4 vir bonus et nivea simplicitate probus,  
 5 cum peteret patrios, Catanius, arva penates  
 6 parva sedens parvo Bartholomeus equo,  
 7 et peram fato suspensam gutture ferret  
 8 in qua fatalis sed ferus uncus erat ;  
 9 uncus erat patulo ducit quo pinguis aeno  
 10 et cocus et coctas uncta puella dapes.  
 11 Qui capulo quo curvus erat, velut ore tenaci,  
 12 astrinxit ramum munus, Iacche, tuum,  
 13 parte trahens una miseri caput ora senique  
 14 quem celer opposita parte trahebat equus.  
 15 Tristia contractae tunc stupea vincula perae  
 16 guttura strinxerunt, BartholomeaE2\_, tua.  
 17 Exanimem Stygias et te misere sub umbras  
 18 vincula non sed quae sidera cuncta regunt.  
 19 Libertas homini nulla est ; quae vivere cogunt  
 20 cogunt nos eadem, credite, fata mori.

DE MORTE DONATAE VENETAЕ.

E3\_73 v.1 Non sanguis, non forma potest, non candida virtus  
 2 Parcarum celeres continuisse manus ;  
 3 labitur omne quod est, nil stat sub sidere firmum.

4 Juppiter ut voluit, sidera cuncta regunt.  
 5 Nam, cui cedebant castae Donata Sabinae  
 6 et Bruti conjunx et tua, sancte Numa,  
 7 nititur invicto Marti placuisse sereno  
 8 quando magis Paphiae pulchrior ore deae,  
 9 occidit ante diem, virtus sanguisque decusque  
 10 siderei vultus nil valuere jacent.  
 11 Cernite quam vanum est nostris spem ponere rebus.  
 12 Impia sunt eadem sidera, quae pia sunt.  
 13 Quae nobis magno pro dono fata dedere  
 14 Donatam, telis haec rapuere suis.

## DE EADEM.

E3\_74 v.1 Quid fletis, Venetae matres teneraeque puellae,  
 2 si rapuit fatis mors violenta suis  
 3 Donatam nostro virtutum tempore clarum  
 4 exemplar patriae spemque decusque suae ?  
 5 Est hanc flere scelus magnum, nam mortua non est  
 6 non posset vitae plus quia sorte frui,  
 7 sed quia non poterat tam clarum cernere sidus  
 8 tanta nec in parvo dona tenere sinu  
 9 quae capit omne quod est tellus latissima. Sic non  
 10 vivere posse diu, vivere posse diu est.

## DE MORTE JACOBI CORSICI.

E3\_75 v.1 Qui solet intonsos sertis ornare capillos  
 2 et tinctam roseo murice ferre togam,  
 3 qui super Eurotae ripas et per juga Cynthi  
 4 aspera vocali saxa movere lyra,  
 5 funerea cinctus palla miserabile carmen  
 6 Daulias ut nato concinit orba suo.  
 7 Nec tantum tristis fuit illo tempore Phoebus  
 8 quo rapuit vatem Bacchica turba suum,  
 9 quantum nunc saeva cecidit quia morte Jacobus  
 10 Corsicus, Etruscae gloria prima lyrae.  
 11 Ora sequebantur cujus modulantia carmen  
 12 tigris, aper, taurus, gryps, lupus, ursa, leo.  
 13 Laeserat ille deos, turpi nam captus amore  
 14 crimina damnavit, Roma, quia iste tua.  
 15 Mortuus est ; poenas vero pro crimine solvet  
 16 saeva manus, justos nam movet ira deos.

## DE LUDOVICO ZERBO.

E3\_76 v.1 Dulcia non audit Zerbi quia verba loquentis,  
 2 sermones nescit quod decus urbis habent,  
 3 compositae deceat laudes quas tradere voci,  
 4 quam sit facundis gratia larga sonis.  
 5 Fecisset rigidum salibus ridere Catonem,  
 6 fecisset tristem ludere Fabricium.  
 7 Horridus atque ferox, placidus clemensque fuisset  
 8 hunc Nero sensisset si pia verba loqui.  
 9 Nec qui sancta Remi rapuit sibi sceptrum, tulisset

10 in socerum dirum tela cruenta gener.  
 11 Nec se Cadmei per mutua vulnera fratres  
 12 misissent Stygiae caeca sub antra domus.  
 13 Damnat, agit, mordet, lacerat, trahit, increpat, urget  
 14 cum scelus e caelo fulmina torta putes.  
 15 Virtutem laudat cum credas aethere summo  
 16 lumina nimbisonos clara fugare Notos.  
 17 Si nullis essent urbes moresque sub astris,  
 18 urbani mores urbis et omne decus  
 19 ad caelum ferrent Zerbo se sospite ; namque  
 20 innumeras urbes pectore solus habet.

## DE ANTIMACHO.

E3\_77 v.1 Solve nodosa miserum catena  
 2 quem feri caelum nimis et proterva  
 3 carceris caeci loca sub profunda  
 4 sorte tulere.  
 5 Te rogat mater lacrimosa tristis,  
 6 te soror sparsis humeros capillis  
 7 per suos, parva miseranda natis  
 8 te quoque conjunx.  
 9 Si pater mortem scelus ob meretur  
 10 turpe, quid parvi meruere nati ?  
 11 Caede mactabis miseri parentis  
 12 quos simul omnes.  
 13 Dentibus saevis aper est timendus,  
 14 dentibus tigris violenta duris,  
 15 cornibus taurus, basiliscus ore,  
 16 ungue leaena.  
 17 Mitis est agnus, pecudes, capellae,  
 18 bos, equi, damae, lepores, columbae.  
 19 Ille sit saevus probus et pius fit  
 20 ille necesse est.  
 21 Sic jubet caeli genitor profundi  
 22 per rosas spargens Cereris per herbas  
 23 fertiles gramen lolii protervum  
 24 triste rubique.  
 25 Jura si semper sequimur severa,  
 26 quem locum clemens pietas habebit ?  
 27 Candidae mentes, animi sereni,  
 28 blanda voluptas ?  
 29 Ergo da capto veniam petenti,  
 30 qui tui regis regis omne regnum.  
 31 Regibus semper proprium deisque  
 32 nam misereri est.

## IN MANCINUM.

E3\_78 v.1 Quo, Mancine, ruis praeceps ? Te fata sequuntur  
 2 auspiciis miserum perniciose malis.  
 3 Nam quo te dicunt sub se fert nomen iniquum  
 4 desidiam, luxus, vulnera, damna, faces.  
 5 Jamdudum Stygii monstris furialibus Orci  
 6 devotum cunctis et grave numinibus.  
 7 Ex cavea pulli fugiunt, Mancine, sonora

8 et vox sidereo clamat ab axe mane.  
 9 Et violentus adhuc forti pugnare duello  
 10 quaeris et infausta bella movere manu,  
 11 cum Colla certare putas ; est numen in illo,  
 12 Gonziaci vires imperiumque ducis.  
 13 Sunt leges, sunt jura. Cades, Mancine, sub armis.  
 14 Impia nam semper qui petit arma cadit.

AD VOSONIUM POETAM CONSUMATISSIMUM.

E3\_79 v.1 Nobile Gazagri dicunt rus, munera Bacchi  
 2 quod gerit apricis deliciosa jugis.  
 3 Quod Cereris fruges, teneris et amica puellis  
 4 poma, beatus ager, quae tulit Hesperidum  
 5 quod Cytherea legit cantans de montibus illis  
 6 gramina narcissi, gramina picta croci.  
 7 Insequitur certis leporem Dictynna sagittis  
 8 ludit ad numerum per fata laeta Dryas.  
 9 Nobilis est, fateor, tam claris laudibus ; astra  
 10 nobilior sed te lucida vate petit.  
 11 Vivere, Vosoni, facis hunc : sine nomine non est  
 12 cultus ager quisquis sit bene cultus ager.

DE BELLO GALLICO.

E3\_80 v.1 Quis nunc bella movet ? Saevi gens aspera Rheni  
 2 quae potat liquidas vel Phaetontis aquas,  
 3 non quia mortali tam strenua pectore virtus  
 4 esse nequit, quaterent tanta nec arma viri,  
 5 si jaculatur atrox hastam Germanus, iniqui  
 6 pondere tormenti fortius illa ferit,  
 7 si saxum Gallus, ballistae turbine dices.  
 8 Hoc furit, hoc durum moenia frangit onus.  
 9 Non agitant urbes aliter feriuntque trahuntque  
 10 fluctibus et scopulis quam freta surda rates,  
 11 spicula fulminei turres quam saeva tonantis,  
 12 murmure cum magno stridet uterque polus,  
 13 haec genus humanum superat vis, impetus, horror.  
 14 Iratis certant Itala regna deis.

LIBER QUARTUS.

JOANNI MATHEO AVEROLDO.

E4\_1 v.1 Quod munus mihi liberalis amplum  
 2 quondam pectore candido dedisti,  
 3 cum laetus petii superba, celsa

4 clarae moenia Brixiae, Maroni  
 5 me cenas veluti suo beatas,  
 6 Gangis divitias, ebur, smaragdos,  
 7 aurum, coccina purpuraque tinctas  
 8 vestes sanguinea, tibi libellum  
 9 dono mittimus hunc, sales jocosque  
 10 quos sumas precor et legas sereno  
 11 vultu, nec tumidus mihi canenti  
 12 dicas : "Redde vices : damus lapillos,  
 13 argentum tibi, verba tu remittis."  
 14 Haec, haec sunt animi beata dona,  
 15 haec post funera, post rogi favillas  
 16 longi saecula largiuntur aevi.  
 17 Quanto dignior est cadente vita,  
 18 quae spernit necis improbas sagittas,  
 19 tanto dignius est bonis protervae  
 20 sortis quod faciunt opus poetae.

JOANNI MATHEO AVEROLDO DE MORTE PATRIS.

E4\_2 v.1 Desine flere patris funus, nam claudat in urna  
 2 corpus inane licet, non jacet ille tamen.  
 3 Non cedit fatis pietas, non mens proba, non quae  
 4 laudibus immodicis pervolat astra fides.  
 5 Dicitur ille mori qui crimine mortuus, ante  
 6 tela ferae mortis quod pateretur ; erat  
 7 vir probus, hanc moriens vitam cum deserat, annos  
 8 felices vitae candidioris agit.

DE CANE MIRO SCULPTA ARTIFICIO.

E4\_3 v.1 Vivam me credis : verum est, quae marmore viva  
 2 creditur haec vitae munera semper agit.

IN MARIUM.

E4\_4 v.1 Tela quatis, Getici ruis in certamina Martis  
 2 nec ferus exardens Oromedonta times,  
 3 invicto socii tutus sub nomine. Graeci  
 4 et lucem hoc dicunt nomine quodque bonum ;  
 5 sed caveas fallant ne te bona nomina, namque  
 6 clauditur auspicio res mala saepe bono.

IN CAELIUM.

E4\_5 v.1 Impia si vates saevus tibi bella pararem  
 2 quae movet Idaliae flamma cruenta deae,  
 3 non peterem tua tecta suo cum limine Titan  
 4 clarus Erythraeo ducit ab axe diem,  
 5 sed cum Tartareis surgens nox cincta tenebris  
 6 Oceano piceum tollit ad astra caput.  
 7 Exercet sua furta Venus cum Cynthia nigros  
 8 lurida nocte vagans sub juga cogit equos.  
 9 Retia qui tendit sub gramine retia claudit,

10 clam parat insidias qui parat insidias.  
 11 Fur rapit obscurus fraudesque dolique teguntur.  
 12 Qui thalamos intrat cognitus hic bonus est.  
 13 Si tua Penelope peteret scelus improba ferret  
 14 obscuram sceleri te sine cauta viam ;  
 15 sed quia virtutem celebrat non te sine quaerit  
 16 te sine quae posset verba referre mihi,  
 17 nec merito nostros possit qui carpere mores  
 18 invenies : tota laudor ab Hesperia.  
 19 Si plebs dira scelus de me tibi fingit iniquum,  
 20 gaudeo ; nam populus quem colit, hic malus est.  
 21 Ignarus lacerat virtutes, odit avarus  
 22 Bellerophonteus qui bibit amne lacus.  
 23 Me nosces : damno fraudes, incendia, lites,  
 24 quique deos justa non pietate colunt.  
 25 Qui solem cernens negat hunc se cernere durus,  
 26 cum non sit demens, invidus et malus est.

MARCO ANTONIO MAUROCENO.

E4\_6 v.1 Nunc quia quidquid habet caelum Mars possidet unus  
 2 celsaque sanguineis pervolat astra rotis,  
 3 sudat et in Siculis quatiens faber arma caminis  
 4 arma quibus summo Jupiter orbe tonat,  
 5 et fera nunc hastam nunc concutit aegida Pallas  
 6 terribilique strepunt cornua rauca sono  
 7 sibilat et cauda vulnus letale minatur  
 8 anguis et Alcides bella cruenta parat  
 9 cristatique timens Galli leo murmura Tuscus  
 10 demissum posuit sub juga dura caput.  
 11 Formidans caecis et se lupa clausit in antris,  
 12 clausit Tarpeia maximus arce pater :  
 13 "Tempus adest, clipeos, loricas sumere fulvas,  
 14 tempus adest, valeas desidiosa quies",  
 15 exacuens falcem clamat fortissimus ille,  
 16 ille senex tanta qui tulit arma fide  
 17 pro vobis, Veneti, clava cum dura leonis  
 18 quaereret Alcides rumpere terga ferox.  
 19 Hic regat ut rursus fac, Martia proelia ductor  
 20 qui potes imperio consule, Marce, tuo.  
 21 Non petiit fieri miles qui tempore pacis  
 22 et petit insanus cum movet arma furor,  
 23 strenuus est. Galeam poscit qui pace coruscantem  
 24 non poscit Martis proelia, poscit opes.

JOANNI BORDONIAE.

E4\_7 v.1 Ut nix Phoebeo durat glomerata sub axe,  
 2 ut navis scopulos quae ferit acta graves,  
 3 utque leves plantae firmis radicibus haerent  
 4 cum tumidus madido sibilat ore Notus,  
 5 ut signum media quod navita pingit arena,  
 6 turris ut irati fulmine tacta Jovis,  
 7 ut casa pastoris quam percutit amnis ab alto  
 8 monte ruens rapidis insidiosus aquis,  
 9 femineus variae sub motu taliter aurae

10 durat amor, durant foedera, verba, fides.

IN AMICUM.

E4\_8 v.1 Desine, quisquis amas, nostram spectare puellam ;  
 2 namque gerit dirae spicula mille necis.  
 3 Crine sub intorto squamosus sibilat anguis,  
 4 caeruleas dices Gorgonis esse comas.  
 5 Funereus Lybica veluti basiliscus arena  
 6 luminibus gestat dira venena suis.  
 7 Adde faces Veneris, miseros quibus urit amantes,  
 8 urit ut accensus robora sicca focus ;  
 9 quae niveos vincit flores, cui cedit eburnus  
 10 dens, torquet jaculos insidiosa manus.  
 11 Saeva nimis, truculenta nimis, nimis aspera, tandem  
 12 impellit, lacerat, dissipat, urget, agit.  
 13 In scopulos navem ducis : quo curris, amator ?  
 14 Si sapis, e portu litora tuta pete.

IN GALBAM.

E4\_9 v.1 Coccina quod gestas, Tyrias quod, Galba, lacernas,  
 2 quod nitet in digitis plurima gemma tuis,  
 3 aurea quod nectit lunatas lingula plantas,  
 4 quod tibi dat Cosmi cinnama largus onyx,  
 5 hexaphoro gestant quod te per compita servi,  
 6 arca quod immodicas vix tua claudit opes,  
 7 quod cuneis spectas mediis cum saevit arena  
 8 rhinoceros vel cum retia frangit aper,  
 9 nos rides, pellis, laceras damnasque fugasque  
 10 et Jovis ut natus tollis ad astra caput.  
 11 Sed te plebeium faciunt sanguisque domusque,  
 12 turpis avaritiae crimen, iniqua Venus.  
 13 Ornans se plumas cygni licet induat albas,  
 14 sub tamen his corvus non erit albus olor.

IN CANDIDUM.

E4\_10 v.1 Ne pariat natos uxor tua, Candide, cunnum  
 2 jejuna miserum cogis hiare fame,  
 3 hanc premis et veluti tenerum formosus Apollo  
 4 Oeбалidem, puerum Juppiter Iliacum.  
 5 Plena tamen partu natos enixa gemellos  
 6 est uno : nostris res nova temporibus,  
 7 hanc junctam peperisse viris ut femina quaeque  
 8 nescio, sed scio te non peperisse viro.

INVICTA VENERIS TELA ASSERTIT.

E4\_11 v.1 Aurea quod Veneris non possunt spicula ? Quaevis  
 2 illa fugit, superant sidera, fata, deos  
 3 naturaeque vices mutant. Nam forte puellam  
 4 uxorem sanctos duxerat ad thalamos,  
 5 delicias cordisque sui spem Candidus unam,



6           dumque petit primo dulcia furta joco,  
 7       frigescit, fugiunt vires, calor ossa relinquit,  
 8           sanguis abest, cordis vita sub arce tremit.  
 9       Ecce volant Chiron, Podalirius atque Machaon :  
 10           exanimem celeri perfricat ille manu,  
 11       hic herbis animas tangit quibus evocat umbris  
 12           Tartareis, succo nectaris ille fovet.  
 13       Pallidus ille tamen jacet et sine viribus ullis,  
 14           nil prosunt herbae nectareusque liquor.  
 15       Ingeminat querula carmen miserabile voce,  
 16           increpat et saevam maesta puella necem  
 17       frigentisque sui lacrimis rigat ora mariti  
 18           infigens gelidis oscula multa genis.  
 19       Summovet ille caput, letali lumina somno  
 20           solvit et attollens se grave pondus agit.  
 21       Spiritus in juvenem reddit, dulcedine captus,  
 22           qui nimia tenerae pectora sub dominae  
 23       iverat. O quantum est venerabile numen Amoris !  
 24           Phoebea medici plus juvat arte Venus.  
 25       Si jubet haec, alio fugiens sub corpore vivit  
 26           quaeque suum corpus liquerat umbra petit.

DOCET PINGERE VENEREM.

E4\_12   v.1       Pingere si vultis Venerem sub imagine vera,  
           2           illam barbatis pingite temporibus.  
           3       Quae generat Venus est, generant animalia quaeque  
           4           semine cum vis est mascula femineo.

DOCET PINGERE BACCHUM.

E4\_13   v.1       "Cur roseum pingunt juvenem te, Bacche ? " "Decoros  
           2           parce sumptus ago vos quoniam juvenes."  
           3       "Cornua cur gestas, cur pulsa tympana ? " "Tauros  
           4           large sumptus ago vos quia cornigeros."

VIRUM PROFUSUM TAXAT.

E4\_14   v.1       Qui consumpserat aureos trientes  
           2           et quos Pyrgoteles manu lapillos  
           3       doctus sculpserat Indicos magistra,  
           4           vestes murice perlitas rubenti,  
           5       silvas, jugera floridosque campos,  
           6           mensas egregias, domos superbas,  
           7       misit sub Stygios lacus ruinae,  
           8           tristem percutiens gravis furore  
           9       aedes rustica quam tenebat unam  
 10           tantis ex opibus. Ruina felix,  
 11           non casu poterat beatiore  
 12           aut fato dominum juvare maestum  
 13           quam quod tempore perderet sub illo  
 14           vitam, perdiderat misellus omne  
 15           quo vitae decus atque res beatae.

## IN GALLOS.

E4\_15 v.1 Quod tua Bacchaeis ululatibus aethera complet  
 2 turba furens, Latium vincere, Galle, putas.  
 3 Falleris, armisoni ridet soror inclyta Martis  
 4 cum Ciconum quatiunt tinnula sinistra nurus,  
 5 Orphea cum Thyas lacerat, cum saevit Agave,  
 6 cum satyri Bacchum maenades atque vocant.  
 7 Pampineos franget Pallas Saturnia thyrsos  
 8 et fodiet rigida tympana rauca manu.  
 9 Ignivomis violentus equis Mars saevus et ense  
 10 Hyrcanas coget vertere terga feras.  
 11 Falce potens feriet Saturnus, Juppiter ignes  
 12 mittet a summis tela trisulca polis,  
 13 Lemnius in Venerem faciet nova retia saevam  
 14 se junxit Bromio quae scelerata tuo.  
 15 Quo periture ruis ? Gelidi pete flumina Rheni,  
 16 Galle miser, fugias : quo periture ruis ?  
 17 Ut Bacchum et Venerem Saturnus, Juppiter et Mars  
 18 et quae sub clipeo Gorgonis ora gerit  
 19 custodes Latii fugient gens dura Quirini,  
 20 sic fugiet populi mollia tela tui.

## IN EOSDEM.

E4\_16 v.1 Alpibus a gelidis, ab iniqui sidere caeli  
 2 ad loca Romulei florida, Galle, soli  
 3 quae te blanda trahit miserum fiducia ? Nescis  
 4 quod ferus invicta cum furit urbe leo  
 5 terra fretumque timent ? Lascivo vincere cantu  
 6 forte putas, raucos non timet ille sonos,  
 7 talibus assuetus. Rostro quid, stulte, superbis ?  
 8 Dentibus iratus fulminat ille feris ;  
 9 unguibus asper eris franges et fortibus arma ?  
 10 Grana quibus quaerens scalpere rura soles,  
 11 ille tibi parvos magnis trahet unguibus ungues  
 12 quis solet ingentes dilacerare feras.  
 13 Aliger alta petes fugiens ? Volat ille sagitta  
 14 aliger Aeoliis ocuis atque notis ;  
 15 ut canibus lepores, ut cervi tigribus, agni  
 16 ut rapido pugnant atque capella lupo,  
 17 improbe, sic Veneto pugnabis, Galle, leone.  
 18 Accipiter placidas non timet acer aves.

## IN EOSDEM.

E4\_17 v.1 Galle, furis quoniam pro forti regna Quirino  
 2 imbelli Romae Sardanapalus habet ;  
 3 invicto pro Marte, Venus ; pro Pallade Bacchus  
 4 et pro praestanti Caesare mollis Otho.  
 5 Nec plus laurigeris ornantur templa coronis,  
 6 nec plus Phoebæ limina fronde ducum ;  
 7 sed Romae migrasse deos sanctumque senatum  
 8 ad Venetos nescis regia tecta lares.  
 9 Illic magnanimi pro libertate subire  
 10 dura parant mortis Brutus et arma Cato,

11 rapta tibi rapiat qui fortis signa Camillus  
 12 pellat ad Oceani litus et alter adest.  
 13 Sunt Fabii Decique graves, sunt fulmina belli  
 14 Scipio, Marcellus Fabriciusque simul  
 15 Caesar et intrepidus potuit victricibus armis  
 16 cogere qui populos sub juga dura tuos.  
 17 Deceptus miser es, variis nam clara triumphis  
 18 urbs alia quamvis parte superbit adhuc,  
 19 Roma sacrum Venetis tollit caput inclyta regnis  
 20 quae magni victrix ut fuit orbis erit.

VIRGILIO ZAVARISIO.

E4\_18 v.1 Celsi per juga montis alta solus  
 2 ibam, permeditans ferocis aevi  
 3 nostri crimina, damna, furta, fraudes,  
 4 caedes, insidias, dolos, rapinas,  
 5 virtutes profugas dolens ad axes  
 6 summos praecipiti volasse penna,  
 7 visa est cum mihi forte crine flavo,  
 8 claris luminibus, genis decoris,  
 9 lato pectore, fronte vel serena  
 10 incedens mulier gradu severo,  
 11 ensem cuspidis et gerens inermi  
 12 lances et trutina subesa iniquas.  
 13 Illi splenia non caput tegebant,  
 14 non vittae tenues, sed ore aperto,  
 15 nudo vertice, liberis capillis  
 16 spectabat geminis polos ocellis  
 17 orbis qui Jove sustinent movente.  
 18 Claros, sidereos, vagos, perennes  
 19 velabat toga quae suos et artus,  
 20 ex clara biberat Tyro colorem  
 21 multis fracta tamen locis, et ipsa  
 22 livens verberibus plagisque multis  
 23 tingebat niveos sinus cruore.  
 24 Stabam dura velut silexve quercus  
 25 summo vertice Caucasi nivalis.  
 26 Exsanguis, rigidus, gravis, nec unum  
 27 audebam timidus referre verbum.  
 28 Sed tunc illa mihi : "Meos times cur  
 29 vultus ? Non tetrici comes Typhoei,  
 30 non sum Tartareae soror Megaerae,  
 31 nec nostrum tumidis caput colubris  
 32 horret, saxificae velut Medusae,  
 33 ensis non nocet hic probis, sed illis  
 34 qui semper miseri scelus sequuntur,  
 35 non possim licet amplius nocere  
 36 ullis ; nam proceres, patresque plebsque,  
 37 aediles, equites, duces, tyranni  
 38 me damnant, lacerant, fugant aguntque,  
 39 tutores spoliant bonis pupillos,  
 40 exstincti viduam pater mariti.  
 41 Non sunt cauidicis voraciores  
 42 qui silvas habitant lupi rapaces,  
 43 semper consulibus proterva mens est ;  
 44 tonsores, lanii, faber simulque

45 omnes artifices mali et molesti  
 46 artes perdere non suas verentur ;  
 47 solum me celebrant sacri poetae."  
 48 His dictis tenues repente in auras  
 49 currens se tulit ut volans sagitta.  
 50 Felix est Helicon qui beatum  
 51 vates excolit ut colis beatus.  
 52 Namque est : justitiae tenens decorem  
 53 virtutes habet ille divus omnes  
 54 sub se ; divitiae timent ruinam,  
 55 fortunae bona ; sola scandit altum  
 56 caelum candida virtus axe eburno.

HIERONYMO CAMPAGNOLAE.

E4\_19 v.1 Sylvia formosas inter celebranda puellas,  
 2 Sylvia sylvicolas inter habenda deas,  
 3 formosae quoniam viridi sub flore juventae  
 4 rapta fuit Stygiae caeca sub antra domus.  
 5 Ut sequar hanc, saevis Erebeae tutus Echidnae  
 6 dentibus anguiferis Eumenidumque comis,  
 7 Julius infernam mecum fac tendat ad aulam,  
 8 argutae tangens fila canora lyrae ;  
 9 protinus et nobis scelerati janitor Orci  
 10 ducet ab aerata limina clausa sera  
 11 atque triceps Hecates monstrum tria guttura claudet  
 12 et pariet Noctis filia quaeque facem,  
 13 firmabitque suum semper revolubile saxum  
 14 Sisyphus, et celeri quem rotat orbe rota,  
 15 saeva renascentes volucris nec distrahet artus  
 16 evomet aut aliquem tota Chimaera focum,  
 17 et numquam captas captabunt Belides undas  
 18 turba maritali perniciose nece.  
 19 Scylla canes coget, fallent tibi garrule nulla  
 20 Tantale poma famem, Tantale lympha sitim,  
 21 et Stygis auricomam mihi numina legis amicam  
 22 foedere non aliquo, carmine victa dabunt.  
 23 Threicio posuit legem Proserpina vati  
 24 annoso quoniam tempore plenus erat.  
 25 Ore puer tenero canit hic, qui non canit illo  
 26 dulcius ; aetatem respice : Phoebus erit.  
 27 Quae minor est virtus teneris est major in annis ;  
 28 gratior est quanto est gratia rara magis.

AD EUMDEM.

E4\_20 v.1 Inspicio cum clara tui tot munera nati,  
 2 tempore quo pueros ubere mater alit  
 3 admiror, stupeo velut et fera Gorgonis ora  
 4 spectassem, totus sub grave marmor agor.  
 5 Et virtutis amor et spes me deserit omnis,  
 6 torpet et ingenii visque calorque mei,  
 7 non aliter quam qui positam contingere metam  
 8 nititur et tardos verbere pulsat equos,  
 9 cum videt ante suos aliquem praetendere cursus,  
 10 jam procul in medio pulvere frena tenet,

11 saucius et stimulis irae morsuque pudoris ;  
 12 odit equos, currus damnat et ipse suos.  
 13 Non canis insequitur volucrum super aera pennas,  
 14 aemula quos virtus non putat esse deos.

DE MIRA DULCEDINE LYRAE PONTANI.

E4\_21 v.1 Credite quod numquam vidit longaeva vetustas,  
 2 quod fieri ratio lex quoque posse negat  
 3 vidimus, ingentes artem superare potenti  
 4 naturae vires juraque cuncta manu.  
 5 Lugarus in cavea miserabile carmen eburna  
 6 dulcius Ismariae pellicis ore sui  
 7 fleverat ; haud tantas potuit fortuna querelas  
 8 ferre, sed hanc saevo carcere traxit avem.  
 9 Est vaga sorte sua volucris quaecumque volantes  
 10 hinc merito pennas, hinc leve corpus habet.  
 11 Aere laetatur vacuo, petit alta libenter,  
 12 est fera quae timeat vincula nulla magis.  
 13 Cum tamen haec sensit pulsus modulantia nervis  
 14 carmina Pontani dulcia plectra mei,  
 15 aethere non grato, non libertatis amore,  
 16 in laqueos iterum capta volavit avis.  
 17 Orpheo volucres mirabile ducere cantu est,  
 18 sed plus jam captas est iterum capere.

DE INGRESSU URBIS ILLUSTRIS HERMETIS.

E4\_22 v.1 Ingredere, o Latiae princeps fortissime gentis,  
 2 panduntur nostra quae tibi regna manu  
 3 omine felici nam te populusque patresque  
 4 aedilis, praetor, consul et ipse rogat.  
 5 Accipe : quisque tuum celebrat, dux inclyte, nomen,  
 6 te velut et magnum tollit ad astra Jovem.  
 7 Vipera clamatur, clamatur ab omnibus Hermes,  
 8 anguigerum resonant moenia tota ducem.  
 9 Collucent ignes, ornantur templa coronis,  
 10 Sacra canunt vates, victima caesa litat.  
 11 Ecce duces gemini Veneto pro sceptris leone  
 12 dant tibi, tam longa ne trahe vota mora.  
 13 Jam subeas, nostros tibi jam largimur honores,  
 14 uxores, natos, praedia, vasa, domos,  
 15 dum Venetis junctus dominis sis foedere semper  
 16 legitimo junctus, qui puto semper eris.  
 17 Nam qui te mittit nostri sub moenia regni,  
 18 mense suo justa nil sine lege facit.  
 19 Indicat ore tuo Janus clausisse biformis  
 20 jam jam perpetua ferrea claustra manu.

HIERONYMO CAMPAGNOLAE.

E4\_23 v.1 Sit mihi sitque tibi gratus quia Julius ille,  
 2 ille puer tellus quem Patavina colit,  
 3 quem Phoebus, quem Pallas amat, quem Juppiter ipse,  
 4 cui favet arguta Calliopea lyra.

5 Non eadem causa est : tua nam tu viscera semen  
 6 diligis et cordis pignora clara tui ;  
 7 ob decus, ob laudes, ob munera cara deorum  
 8 hunc ego virtutes approbo, miror, amo.  
 9 Componat nostros vir si quis justus amores,  
 10 verus amor meus est, verus amor tuus est,  
 11 verior est noster ; premimur nam sanguine nullo.  
 12 Tu quod amas natum diligis ipse tuum.

AMBROSIO TARVISINO.

E4\_24 v.1 Non timeat morbi, timeat non vulnera ferri  
 2 et si jam saevi cerneret arma Jovis,  
 3 Ambrosii, quaecumque manus tetigere. Dolorem  
 4 nam fugat ut Zephyri nubila pressa Notis.  
 5 Vidi ego sub Stygias quem mors jam miserat umbras  
 6 ad superos herbis hunc revocasse suis.  
 7 Hunc Erebi celebrant rex et regina profundi,  
 8 ad vitam rursus ne sua regna trahat.  
 9 Nunc truculenta potest illum mors perdere tandem,  
 10 Ambrosii, cui non dat manus artis opem.

DE VANA SUSPICIONE BELLI.

E4\_25 v.1 Quisquis bella timet nostris truculenta sub annis,  
 2 ignarus belli somnia vana timet.  
 3 Strenuus urget equos numquid Mars gentibus istis  
 4 otia quas plumis desidiosa tenent,  
 5 quas capiunt prisco sub consule pressa Falerni  
 6 pocula, quas laute mensa parata cibus,  
 7 quas immaturas vi paedicare puellas  
 8 quas juvat et teneros supposuisse mares,  
 9 quae sua lomento poliunt et dropace membra,  
 10 sordida quae Cosmi munera semper olent,  
 11 quae sibi componunt longos ex ordine crines,  
 12 quae juvenum labris inguina tenta vorant ?  
 13 Tristia non peragunt lepores, non proelia dammae,  
 14 Non quatiunt molles tela cruenta manus.  
 15 Nascitur alma dies qua principis ora sereni  
 16 qui fera squamoso signa dracone gerit,  
 17 spectabunt patriae felicia moenia nostrae.  
 18 Phoebe, veni, nostros jam pete, Phoebe, polos.  
 19 Gaudia quid differs ? Hilaris jam pompa paratur  
 20 stragula picta vias, vela theatra tegunt.  
 21 Pegmata tolluntur, crescunt super astra colossi.  
 22 Currit equus, quatitur lancea, sica furit,  
 23 exercent unctas juvenilia membra palestras.  
 24 Scaena patet multis deliciosa jocis,  
 25 carmina cantantur, concentibus aera mulcent  
 26 tibia, plectra, lyrae, buccina, sistra, tubae.  
 27 Obvius it populus regi sanctusque senatus  
 28 et nitet in modica quaeque fenestra nuru.  
 29 Phoebe, veni, veniet si te prior inclytus Hermes  
 30 lucebit nobis te sine clara dies.

## HIERONYMO STELLAE.

E4\_27 v.1 Nunc video quid sit caro sine tempus amico  
 2 ducere, quid curas sit tacuisse suas.  
 3 Munera amicitiae nunc nosco et praemia verae  
 4 et sua quod pretium foedera sancta tenent.  
 5 Limina nunc Stygii fidum penetrasse tyranni  
 6 Thesea Pirithoo credimus atra suo,  
 7 credimus et Nisum saevis cecidisse sub armis  
 8 sisteret ut socii tristia fata sui.  
 9 Nam tua quo juncto sequerer vestigia gressu  
 10 irem Tartarei trina per ora canis,  
 11 perque procellosas Syrtes, per saxa Maleae,  
 12 per mare quod rapido vortice Scylla trahit ;  
 13 nam sine te vivo, sine me si vivere possum  
 14 aut animae possum si sine parte meae.  
 15 Quo vel care mihi venias, Hieronyme, tandem  
 16 dimidium cordis vel mihi redde mei.

## DE CASSANDRA FIDELI.

E4\_28 v.1 Utilis ut campis imber, mortalibus axe  
 2 semper ab aethereo gratia larga pluit,  
 3 pullulat et semper virtus radicibus imis  
 4 arbor ut in pingui luxuriosa solo :  
 5 et si non omnis multas producit aristas  
 6 qui pariat multas est tamen unus ager.  
 7 Quaelibet ora suum munus, sua praemia noscit,  
 8 luce nitent solis tempora quaeque sui.  
 9 Multorum fuerat celebris jam fama virorum,  
 10 viderunt multos saecula prisca deos.  
 11 Nunc tantum lux una nitet, nunc candida virtus  
 12 uno sub tanto pectore tota sedet.  
 13 Quod ne forte viri credas, castissima virgo  
 14 quae trahit a recta nomina sancta fide,  
 15 hoc Cassandra decus tantas habet unica laudes,  
 16 pro nobis sapiens omnibus una viris.  
 17 Quisque deam putet hanc ; nam si medicumve poetam  
 18 qui rerum causas noscit et astrologum  
 19 semideos omnes dixerunt, omnia noscit  
 20 qui simul haec, merito dicitur ille deus.

## DE EADEM.

E4\_29 v.1 Maturae gaudete nurus, gaudete puellae,  
 2 vos quoque quas pigras tarda senecta facit !  
 3 Nunc quodcumque decus vestrum est, nunc gloria quaeque  
 4 laudibus ex vestris fama clara venit,  
 5 nunc hederæ vobis dantur, nunc innuba laurus  
 6 exornat vestras fronde virente comas.  
 7 Quis genus humanum noscit ? Cassandra. Quis audet  
 8 praescia venturi dicere fata Jovis ?  
 9 Quis logicae laqueos et caeca aenigmata solvit ?  
 10 Eloquii nectar quis Ciceronis habet ?  
 11 Ista pudicitiae vates lux unica sanctae,  
 12 inclyta cui matres condite templa deae.

13 Nam dedit aeternum vobis quae nomen, honoris  
14 aeterni fas est sentiat illa decus.

DE JULIO PONTANO AD CIVES.

E4\_30 v.1 Si cupitis, cives, hiemis sub tempore veris  
2 tempora purpureis picta videre rosis,  
3 Pontanus pingat flores et gramina. Belli  
4 tempore si pacis foedera sancta piae,  
5 Pontanus pingat pacem : licet hostibus hostes,  
6 arma armis certent, pax erit alma tamen.  
7 Si tenebris atrae noctis sub lumina clara,  
8 si nigros claro lumine noctis equos,  
9 sub tenebris pingat lucem, sub lumine noctem :  
10 nocte erit et sine nox et sine luce dies.  
11 Nam mentem pingit, mores animasque deosque,  
12 quod nec habet formam, quod nec habere potest.  
13 Pingere res quae sunt, terram, mare, sidera, clarum est ;  
14 quae nec sunt, nec erunt clarius esse patet.

AD AMICUM.

E4\_31 v.1 Si puer est Veneris natus, dic curvat, amice,  
2 qualiter opposita cornua dura manu ?  
3 Si caecus, certos dic cur tam dirigit ictus  
4 et fallant teneram spicula nulla manum ?  
5 Si, pauper, nullo cingit sibi corpus amictu,  
6 qualiter hic cunctas possidet orbis opes ?  
7 Ignis aquam pellit, flammae pelluntur ab undis.  
8 Non est dives, inops, virque puerque senex.  
9 Haec mihi pinge, precor. Nam te pingente Cupido  
10 pauper erit dives, virque puerque senex.

EPITAPHIUM CHRISTOPHORI PEREGRINI.

E4\_32 v.1 Qui miseros pavit, coluit qui templa deorum  
2 et quo clam mulier plurima nupsit inops,  
3 clarus eques tumulo situs est Peregrinus in isto  
4 Christophorus : parvo magna ruina loco est.

MARCO CIVILI.

E4\_33 v.1 Quaesivi Scythicas rupes gelidosque Triones,  
2 quo veniens Boreas spirat et axe Notus,  
3 qua Germanus atrox torquet sua tela, fugaces  
4 qua Parthi versa post sua terga manu,  
5 qua tumidum jactat ferventes aequor arenas,  
6 qua sua semotus regna Britannus habet.  
7 Nec potui infelix castam invenisse puellam  
8 et quae non esset perfida, tristis, atrox.  
9 Juppiter est testis : falsas qui saepe puellas  
10 cum vidit serpens, femina, taurus, avis,  
11 has veluti clades fugiens incendia, morbos,  
12 ivit ad aethereos cum Ganymede polos.



## AD PETRUM MEDICEM.

E4\_34 v.1 Cur silvas habitem solus, cur jugera semper  
 2 urbani fugiens tecta superba soli  
 3 sunt ubi deliciae populi, tot templa, tot arces,  
 4 mensae, aurum, gemmae, vasa, theatra, togae,  
 5 innumeri vates, equitum dux atque magister,  
 6 consulis et gemini sella, tribunus, eques,  
 7 blanda puellarum faciles ubi turba choreas  
 8 exercet, lusus et, Venus alma, tuos,  
 9 miraris ? Fatuus ructat cum verba beatus,  
 10 nescio tergeminum dicere, Petre, "sophos !",  
 11 Ad crepitum digiti nec olentem ferre matellam,  
 12 tollere nec spurco vase quod ipse vomit,  
 13 non pathicum tractare femur lumbosque fricare  
 14 cum sua Baianis corpora purgat aquis,  
 15 non scortum laudare suum, si pallidus axe  
 16 decidit et fatis hoc tribuisse feris,  
 17 qui modo tellurem curvo scindebat aratro  
 18 nec matutinum ferre sagatus ave.  
 19 Nescio blandiri tamen crimenque probare ;  
 20 fac mutet mores urbs, ego tunc veniam.

## DE REPENTINA JOANNIS MAII MORTE.

E4\_35 v.1 Mortis Joannes subitae quod spicula sensit,  
 2 quod petiit Stygii tam cito Ditis aquas,  
 3 non sine mente Jovis factum est. Nam quicquid in orbe  
 4 nascitur, imperio statque caditque Jovis.  
 5 Quicquid agunt superi justum est, non sidera possunt  
 6 criminis injusti turpia signa pati.  
 7 Ille igitur merito cecidit ; sed discite quare :  
 8 esset ut uxoris gloria nota suae,  
 9 quae dum vivus erat thalami sub lege jugalis  
 10 non poterat lumen fundere pressa suum  
 11 ingenium, mentem, mores, animumque virilem,  
 12 casta nec intactae dona pudicitiae,  
 13 uxorem sed se noscens vir clarus ut esset  
 14 claudebat sancti pectoris omne decus.  
 15 Est sua nunc quoniam, veluti sol spargere coepit  
 16 lumina, cum ventus nubila densa fugat.  
 17 Pergama facundus si non vidisset Ulixes,  
 18 non nunc Penelopes tangeret astra pudor ;  
 19 vixisset Brutus, tunc non tam clara fuisset  
 20 Portia, non vivo femina clara viro est.  
 21 Sub duce qui pugnat miles, non clarior illo,  
 22 illo sit quamvis fortior, esse potest.

## DE THEODOSIA.

E4\_36 v.1 Currite custodes, capiet Theodosia ferrum !  
 2 Currite, vult fati vincere jura sui  
 3 conjugis et subita subitos maestissima casus  
 4 morte sequi, Bruto Portia casta suo.

5 Nec tantum ferrum, flammam sed tollite, flammam  
 6 nec tantum, saevae sed necis omne genus.  
 7 Nam quicumque mori casto vult captus amore,  
 8 inveniet innumeros quis cadat ille modos.

DE REPENTINO CASU JOANNIS MAII.

E4\_37 v.1 Mors superat fatum, fati ne credite : possunt  
 2 mutari. Variat stamina quaeque soror,  
 3 non est fixa dies vitae, non terminus ullus  
 4 nullaque sub certo foedere jura manent.  
 5 Cuncta regunt subiti casus mortalia, morti  
 6 quisque potest juvenis cedere, quisque senex.  
 7 Nam qui tam subito cecidit nunc funere majus  
 8 debuerat caeli vivere lege diu ;  
 9 dives enim, largus, clemens, hilarisque piusque  
 10 et probus et valido corpore fortis erat.  
 11 Munera factorum sunt haec, his noscimus illum  
 12 tam cito fata virum non voluisse mori ;  
 13 mors voluit potuitque suis saevissima telis  
 14 et clam sub Stygios hunc tulit atra lacus.  
 15 Sidera decepit, parvo nam tempore sanus  
 16 infirmus, vivus mortuus atque fuit.

EPITAPHIUM MARIOTI DE MONTE.

E4\_38 v.1 Mens proba, recta fides, hilaris clementia, cautum  
 2 consilium, probitas, religionis amor  
 3 undique reddebant clarum quem nobile corpus  
 4 montibus exposuit hac Mariotus humo.  
 5 Curabat Venetis pro regibus arma virosque  
 6 ordine legitimo Martia castra sequi.  
 7 Vixerat ille parum, si commoda nostra requiris ;  
 8 tempora si, Pylium jam superabat avum.

EJUSDEM.

E4\_39 v.1 Quem Verona tenet, genuit Florentia : Martis  
 2 tutor eras Veneti vel, Mariote, pater.

AD PYLADEM.

E4\_40 v.1 Me Saxum dixit qui noverat omnia vates,  
 2 sidera Parrhasio quae videt Ursa polo  
 3 vix natum fieri me Saxum vidit amore,  
 4 vidit ut in Saxum me ferus egit amor.  
 5 Duritia rigeo, sub pondere cogor inertis,  
 6 Battus ut et Scyron sum gravis et gelidus.  
 7 "Qualiter", at dices, "Musas Heliconis ab alta  
 8 plena deo quatiens pectora sede trahis,  
 9 componis, dictas, facundo disseris ore  
 10 quid flammae, quid sint terra, fretum, superi ?"  
 11 Non loquor haec, non haec lapidoso pectore manant :  
 12 in me qui vivit solus Amor loquitur.

## AD PETRUM MEDICEM.

E4\_41 v.1 Ne te semper agant curae velut aequora ventis  
 2 indomitum naves improba, Petre, rogo.  
 3 Quid juvat Assyrio si litore tutus amomum  
 4 atque Arabum, dives, mascula tura vehas ?  
 5 Quid si Callaicis Astur tibi mittat ab arvis  
 6 munera vel Gangis vel pretiosa Tagi ?  
 7 Ista cadunt veluti viridi flos vernus in umbra  
 8 cum sol flamiferi terga leonis habet.  
 9 Mors ruit et veluti maturas messor aristas  
 10 omnia vulnifica falce cruenta secat.  
 11 Non fortunatis parcit, non illa beatis :  
 12 Tartara sub Crasso divite Codrus abit.  
 13 Fabula vana sumus, vita haec est ventus et umbra.  
 14 Vive igitur, nimis est mors fera saepe mori.

## AD CAESAREM VIARANUM DE NUPTIIS.

E4\_42 v.1 Dulce quae carmen canitis, Sorores,  
 2 rupe Dircaea laticemque fontis  
 3 sumitis clarum geniti cruore  
 4 Gorgonis atro,  
 5 Phoebe, qui lauro roseisque crines  
 6 floribus pingis, geris et sagittas  
 7 fila qui tangens citharae ferarum  
 8 pectora mulces.  
 9 Pergite huc omnes simul et favete  
 10 ore, nam vates celebrandus ille,  
 11 ille qui doctum superat Catullum  
 12 arte lyraque,  
 13 ducit ardentes thalami puellam  
 14 ad sui lusus teneram, pudicam,  
 15 crinibus flavis, roseis labellis,  
 16 fronte serena.  
 17 Huc Venus et tu venias columbis  
 18 vecta torquatis puerumque ducas  
 19 qui faces gestat manibus tenellis  
 20 duraque tela,  
 21 ut novae flammis capiant medullae,  
 22 cor tuum nuptae bibat ut venenum  
 23 dulce quo vati sociata vatem  
 24 discat amare.  
 25 Quos jocos lectus titubante sponda  
 26 sentiet felix, hilaris lucerna  
 27 quas suo pugnas oleo novari  
 28 saepe videbit !  
 29 Murmure aequabunt niveas columbas  
 30 brachiis junctis hederas sequaces,  
 31 basiis conchas Veneris salaces,  
 32 dulciter ambo.  
 33 Illa producet similem parenti,  
 34 ore formoso puerum decorum,  
 35 una nascetur similis puellae  
 36 pulchra puella.

37 Ergo quo multos videant nepotes  
 38 et tibi multas pariant puellas,  
 39 junge felici simul hos catena,  
 40 o Hymenaeae !

## JOANNI AURELIO AUGURELLO.

E4\_43 v.1 Hactenus Ausoniis veteres hausisse poetas  
 2 fontibus Aoniae nobile nectar aquae  
 3 credidimus, solos astrisque faventibus illos  
 4 Bellerophonteanas incoluisse domos,  
 5 spernere nos Phoebum, nos spernere docta Sororum  
 6 numina, nos Bacchi flexipedes hederas.  
 7 Nullus enim viridi cingebat tempora lauro,  
 8 nullus erat priscis aequiparandus avis.  
 9 Credimus Aureli sed te resonante caballi  
 10 carmen ab Aonii nosque bibisse lacu.  
 11 Reddita sunt nobis Phoebi te munera vate,  
 12 redditus est Phoebus te quoque vate sibi.

## AD EUMDEM.

E4\_44 v.1 "Castalios quondam latices mihi, Phoebae, solebas  
 2 spargere Dircae fontis et ambrosiam  
 3 et mihi divinum facilis praestare furorem  
 4 illum quo Latiae jam cecinere tubae.  
 5 Nunc mihi sancta tui clauduntur limina templi,  
 6 pellor et a montis culmine virginei  
 7 nec licet e tantis et tot mihi fontibus undam  
 8 sumere quae media turbida valle fluit."  
 9 "Non est quod doleas, nam te celebramus, amamus,  
 10 sed dare quae data sunt munera quis poterit ?  
 11 Plectra, comas, citharam vati concessimus uni  
 12 et quodcumque nemus Castalis unda lavat.  
 13 Nos habet et nostros Aurelius unus honores,  
 14 solus habet lauros, numina solus habet.  
 15 Vis mea quae fuerat vates dispersa per omnes,  
 16 unius in solo pectore major erit."

## EIDEM.

E4\_45 v.1 Gutta vel anguiferae torvo cadat ore Medusae  
 2 altera, Pegaseus qua renovetur equus  
 3 et renovatus agat geminatis aera pennis  
 4 donec humi liquidam viscere ducat aquam ;  
 5 viscere ducat humi gelidi tibi flumina fontis,  
 6 Taurus inextinctos qua cadet ante focos,  
 7 postquam Castaliis Aurelius unus in antris  
 8 et jacet et totas possidet unus aquas.

## DE EODEM.

E4\_46 v.1 Phoebus habet citharam, nec non Aurelius unam ;  
 2 hic sonat, ille tenet ; hic tenet, ille sonat.

## EIDEM.

E4\_47 v.1 Divisit Phoebus cum divite munera regno :  
 2 plectra, lyram, lauros, jugera, templa, lacus  
 3 et dedit, Aureli, tibi laurea sarta lacusque  
 4 plectra, lyram, Musis jugera, templa suis.

## EIDEM.

E4\_48 v.1 Te sine, Phoebe, tuis Aurelius unus amatur,  
 2 vatibus et vates te sine solus amat.

## AD EUMDEM.

E4\_49 v.1 Aureli, genitor novem sororum  
 2 illarum decus et decus sacrorum  
 3 Vatum, tempore qui fuere prisco,  
 4 seu quem nunc celebrat colitque multa  
 5 seu quem Palladiae probant Athenae,  
 6 dicas seu tenerum suo Tibullum  
 7 cantu qui silices ferasque cautes  
 8 posset frangere dulciter sonoro.  
 9 O quantum tibi gratiae dedere  
 10 Qui volunt super astra fata caelos  
 11 ut nondum gelidus cinis legaris !

## EIDEM.

E4\_50 v.1 Laureli a lauro, vel nomen ducis ab auro  
 2 Aureli : egregium nomen utrumque tuum est.

## AD VENEREM.

E4\_51 v.1 "Consule blanda Venus mihi, consule, blande Cupido ;  
 2 femina me laqueis coepit iniqua suis."  
 3 "Miraris ? Ferus est laqueis Mars captus ab istis,  
 4 Juppiter, et numquid tu Jove major eris ?"  
 5 "Hoc ego non doleo, sub quod mihi foedere tanto  
 6 muneribus pactam rupit, avara, fidem."  
 7 "Et tu muneribus certa." "Sum pauper inopsque."  
 8 "Vel nummos habeas, vel male pauper amas."  
 9 "Hos mihi dat nullus." "Mors est, desiste precari !"  
 10 Quod sibi consilium pauper amator habet !

## POMPEIO ALEGRO DE AMICA.

E4\_52 v.1 Munera quid faciunt et amor sceleratus habendi ?  
 2 Quid sitis argenti, quid scelerata fames ?  
 3 Quid vestes auro textae gemmisque nitentes  
 4 et quid Erythraei lucida concha maris ?  
 5 Quam non Penelope, quam non Lucretia casto

6           pectore vincebant moribus atque bonis,  
7       quam pulchri juvenes clari temerare virique  
8           sanguine vel forma non potuere sua,  
9       horridus, incomptus, duris assuetus aratris  
10       et cultae Cereris spargere semen humo,  
11       sordidus hanc potuit numerato rusticus auro  
12       a vetula et turpi qui fugiendus erat.  
13       Munera quid faciunt ? Meretrix et adultera nunc est  
14       Tyndaris, insignis Portia quae fuerat.

## AD AVARAM AMICAM.

E4\_53   v.1       Quod Crassus nolens aurum tu, Gemma, bibisses  
2           sponte tua : est auri tam tibi magna sitis,  
3       et veluti saevus Polydorum caede tyrannus  
4           immerita faceres sub Styga ferre pedem.  
5       Aureolos nam cum sentis aut aera sonare,  
6           jejunam non te mensa cibusque tenet,  
7       non pater aut genitrix, non te fraterque sororque.  
8           Curris, et amisso caeca pudore, furis.  
9       Hos petis, et thalami leges et jura mariti  
10       et sanctam temeras, luxuriosa, fidem.  
11       Et supponebas uno quod casta marito,  
12       supponis turbae, munere capta, femur.  
13       Ergo suburrans sedeas, vitiata, cathedris  
14       vel jaceas uno, femina casta, toro.

## AD VENEREM.

E4\_54   v.1       "Torqueor, alma Venus, flagranti torqueor igne."  
2           "Quis te tam subitus destruit ignis ?" "Amo."  
3       "Quam ?" "Non quam, sed quem poscas." "Scelerate, cinaedum  
4           diligis et sequeris et mihi poscis opem ?"  
5       "Si scelus est, summo cur pocula grata Tonanti  
6           dat puer aetherae raptus ad astra domus ?  
7       Cur tenerum dilexit Hylam Tiryntius heros ?  
8           Et cur Oebalidem pulcher Apollo suum ?  
9       Si scelus est, tibi cur placuit formosus Adonis ?  
10       Sed scio sit cur, sic femina quaeque facit."

## AD JACOBUM COMITEM JULIARUM.

E4\_55   v.1       Scribere ceratis valeat quo jure tabellis  
2           legitimo quicquid plebsque patresque jubent,  
3       seu cum versutus negat inficiator et urget  
4           fraudibus actorem criminibusque suis,  
5       seu cum veridicus tollit vadimonia praetor  
6           et contestatae foedera litis agit,  
7       a violis dictus genuit quem vir probus ille  
8           qui causas triplicis scribit et acta fori,  
9       fac qui Pieria redimitus tempora lauro  
10       docta comes Phoebi plectra, Jacobe, tenes.  
11       Per Veneris currus, Phariae per sinistra juvencae,  
12       per Cybelis gladios, per Jovis arma, precor  
13       perque tuum nuper gelidas quae detulit undas

14           limen ad ardentem et nova nupta faces.  
 15       "Non est gramaticus", dices "vel forte poeta."  
 16       Nec timeas, docto sub patre doctus erit.  
 17       Ferre jugum domita discutit cervice iuveni,  
 18       ferre virum facilis qui fuit acer equus.  
 19       Emeritus genitor capiat iam praemia nati.  
 20       Ah, scelus est pauper vivat ut ille senex !

## AD DANTEM ALIGERIUM.

E4\_56   v.1       Efficitur curvus cum tempore praemia fortis  
           2           jamdudum populo si gladiator habet  
           3       et rude donatus, "Non te peto, non peto" dicit  
           4       "sed pisces : quid tu retia, Galle, fugis ?"  
           5       Et si, depositis miles sestertia telis  
           6       accipit ad Pylia saecula ductus avi,  
           7       qui totiens sancti scripsit consulta senatus  
           8       orta tribunicia iuraque lege diu,  
           9       auctio cum fertur, cum res supponitur ipsa  
 10       arbitrio iusti consilioque viri,  
 11       jam conclamandus miserae iam proximus urnae  
 12       cogetur rapidae dente perire famis ?  
 13       Ah, scelus indignum, quis sit si nescis, ianthis  
 14       illi purpureum nomen amica dedit.  
 15       Cui faveas igitur, jubet hoc praestantia, mores,  
 16       recta fides, probitas et pietatis amor.  
 17       Quod facies, natum indoctum licet esse negetur,  
 18       te poterit vestro connumerare choro.  
 19       Esse scelus dices non est hoc scribere natum  
 20       indoctum doctum sed renovare patrem.

## AD HIERONYMUM CALLAGRANUM.

E4\_57   v.1       Horridus infixit fatali sidere dama  
           2           inguinibus patrum vulnera saeva tui,  
           3       implicuit duris ferventes ossibus ignes  
           4       et flammam cordi febris amara tuo.  
           5       Commodior potuit nullo te tempore morbus  
           6       sternere, nec febris aptior hora fuit  
           7       quam non induxit nimio generata labore  
           8       bilis, nec stomacho res vitiosa tuo.  
           9       Non gaudes sumpto noctem superare Falerno  
 10       nec, dives, multa luxuriaris ope.  
 11       In medio tua signa locas sub sidere, tendis  
 12       nec tamen obscuras ad Phlegethontis aquas.  
 13       Hanc pietas, hanc nota tui clementia cordis  
 14       intulit, hanc patrum vel genitoris amor.  
 15       Vivere nolebas si non medicabile vulnus  
 16       illud erat damae quo feritate nitent,  
 17       quod fuit in patrum saevum et miserabile vulnus  
 18       in te mutatum febris iniqua fuit.

## ANTIMACHO.

E4\_58   v.1       Ad varios solum populos quem fata dedere

2 sorte mihi frater quod meus ire parat,  
 3 quos Rhodani lavat unda, bibunt qui flumina Theni  
 4 et quos multiplici Nilus inundat aqua,  
 5 quosque ferit rapidus Ganges celer atque Garumna,  
 6 qui cava pro cultis sedibus antra colunt,  
 7 quo valeat liber valeat quo pergere tutus  
 8 muneribus nullis per loca cuncta, petit  
 9 Gonziaci regis clara sub gente notari  
 10 sanctaque magnanimi signa referre ducis.  
 11 Omnia tela quibus vel saeva pericula vincet  
 12 aeris et terrae velivolique maris.  
 13 Ista negas : scelus est, haec si tibi fata negassent  
 14 non tam clara tuum tangeret astra caput.

## JOANNI BRITANNICO.

E4\_59 v.1 Non quia sis doctus te, docte Britannice, miror :  
 2 res humana meum non movet ingenium.  
 3 Sed quoniam vatium penetras sic limina plenos  
 4 ut thalamos sancto numine perspicias,  
 5 ut mentem teneas, cor, sensus, pectora, nec sit  
 6 se melior quam te quem legis ingenio,  
 7 clarior immo tuo sit lumine, doctior arte,  
 8 candidus et nivea simplicitate magis.  
 9 Sub juvenale tuo juvenalis vivere gaudet,  
 10 vel secum gaudet vivere bis potius.  
 11 Persius ipse sibi dicit : "Sum Persius atra  
 12 sub Styge qui mersus perditus ante fui ?"  
 13 Fulminat, odit, amat, pugnat, cantatur Achilles,  
 14 te valet et vita candidiore frui.  
 15 Hoc decus est ingens, haec sunt miracula, vitam  
 16 his dare qui vitam carmine dant aliis.

## AD JOANNEM BRITANNICUM.

E4\_60 v.1 Condita materno mitto tibi carmina cantu,  
 2 sed quae maternum non capit ingenium  
 3 plebs legit et gaudet ; fateor, sermone canuntur  
 4 plebeio, plebis pectora sed fugiunt.  
 5 Grammaticus videt haec si doctus, ridet et in me  
 6 verbosi torquet spicula grammatici ;  
 7 si bonus orator, "Veluti nova crimina", clamat,  
 8 "tardipedis petit haec Sicelis ara dei" ;  
 9 si rerum causas qui discutit, anxius haeret  
 10 et labyrinthis vix fugit e tenebris.  
 11 Res mira est : superum rex, qui non fallitur, hoc scit  
 12 ut scit, sub causis est opus illud erit.  
 13 Non tamen hoc opus est, sic non vi cogitur ulla  
 14 sidera quem cogunt certaue fata Jovis.  
 15 Hoc solvant Phoebi tripodes, cortina Sibyllae  
 16 si quod sub causa est, non opus ac opus est.

## DE CAPELLA.

E4\_61 v.1 Ubera nostra canis cur stringis ? Non tibi mater



2           sum ; mea non tangas ubera, mater ero.

DE CAPELLA.

E4\_62    v.1       Si rerum movet ordo Jovem, cur non mihi vitam  
          2        dant superi ? Credunt vivere me superi.

IN LEANDRUM.

E4\_63    v.1       Per freta dum peteret dilectae tecta puellae  
          2        Leander tumidis est quia mersus aquis,  
          3        noster vina bibit nullo vitiata liquore  
          4        Leander, teneros comprimit atque mares.  
          5        Ingeniosus homo est ; saevum fugit omen, amore  
          6        femineo sic non fluctibus atque cadet.

JOANNI TABERIO.

E4\_64    v.1       Verba cruentatis excussa casside pennis  
          2        quae dicis Geticus dixerat ante deus,  
          3        quique super bimaribus meditatur saxa Corinthi  
          4        carmen et in summa Phocidos arce sedet.  
          5        Tunc cum pampineis sentit te Brixia campis  
          6        versibus indomitas sollicitare feras,  
          7        de me quod fingis tribuit tibi Juppiter uni,  
          8        Pallados armisonae munus utrumque tuum est.  
          9        Componis, dictas, declamas, disseris, astra  
         10        noscis et Arctoi limina quaeque poli ;  
         11        quod tibi vel Phoebi latitat sub pectore numen,  
         12        quod magis est Phoebus vel novus ista facis.

BAPTISTAE CARMELITAE.

E4\_65    v.1       Idaeis Cybeles colitur si rupibus, Ammon  
          2        si Lybiae gentes inter et Aethiopas,  
          3        Gradivus Romae, Juno Carthaginis arce  
          4        Phocidis in templis Phoebus et Ortygiae,  
          5        Gnossiaci Dictynna solo, Cadmeis urbis  
          6        invictis Bacchus gentibus anguigenae,  
          7        hoc decet, hoc fas est : venerantur numina Galli  
          8        atque Celaenaeae mystica sacra deae,  
          9        Juppiter astra movet nutu, sol temperat anni  
         10        tempora, siderea Cynthia nocte micat,  
         11        Juno fovet partus, Venus est quae gignit amorem,  
         12        Bacchus agit curas et grave tollit onus.  
         13        Ast ego cur tollam nulla est sub iudice causa,  
         14        tu tamen ut plenus numine vera canis.  
         15        In me non mereor laudes ut Pamphilus ; in te  
         16        ut vivo vera ductus amicitia,  
         17        sum deus in terris. O felix copia laudum !  
         18        Quas aliis laudes vis dare, tu tibi das.

## AD CULTORES CUPIDINIS.

E4\_66 v.1 Quas habeat vires diverso pannus amictu  
 2 disce Cupidineo numine quisquis amas.  
 3 Teutonica spatiale tegitur si turgida veste  
 4 mutato vultu Tyndaris efficitur,  
 5 ore nitet veluti Paphia quae mollis in arce  
 6 dat laqueos nato, dat fera tela suo.  
 7 Tyndaris Ausonia tegitur si veste decora  
 8 mutato vultu turgida fit spatiale.  
 9 Lomentum nihil est, nihil cerussa, puella ;  
 10 non ornant vestras lintea picta genas.  
 11 Si Phoebi radios, si vincere sidera vultis  
 12 formosae vestes sumite Teutonicas.

## DE CATELLA.

E4\_67 v.1 Sum quam sculpsisti : redeas ! Haec gratia rara est,  
 2 cum manus artificis decipit artificem.

## DE CATELLA.

E4\_68 v.1 Artis natura periit sub gloria numquam ;  
 2 sub me naturae gloria tota perit.

## IN JACOBUM.

E4\_69 v.1 Fessus adhuc jaceo curis somnoque sepultus,  
 2 me petis et narras bella cruenta loquax :  
 3 "Milleque Germani tercentum vela dedere  
 4 Aeoliis, centum Gallica turba, Notis."  
 5 Asseris et numeras cunctas ex ordine naves :  
 6 illa volat remis, haec sine sulcat aquas,  
 7 multae rostra gerunt, multae sunt corpore longo  
 8 Haemonias possint quae superasse rates.  
 9 Has faciet Nymphas merito Venus aurea : scis quot  
 10 sint tabulae, remi, carbasa, transtra, fori.  
 11 Describis peditum turmas equitumque catervas,  
 12 castra locas, torques spicula, texta rapis,  
 13 incendis, laceras urbes, popularis et agros.  
 14 Nomina das servis militis atque ducis.  
 15 Exclamas, pellis, fugis, induis, exuis arma.  
 16 Nunc vincis, victo nunc miser hoste cadis.  
 17 Sit pudor ah tandem dilecti corda sodalis  
 18 desine letiferis figere tot jaculis,  
 19 ferrea bella petens vel tandem decide bellis  
 20 ut tandem cesses ferrea bella loqui.

## IN GALLUM.

E4\_70 v.1 Quicquid fata jubent summis et Juppiter astris,  
 2 est opus humanum nos tolerare genus.  
 3 Nil aulaea juvant, auri nil fulva supellex,  
 4 Hesperiam nil quod mittit ad Indus ebur,

5 picta nec Oebalio fulget quae murice vestis,  
 6 nec quae Carpathio litore concha nitet.  
 7 Inclyta progenies, animosum pectus, acuti  
 8 ingenii, virtus, gloria, fama, decus.  
 9 Dives erat Priamus, vidit tamen urbis Achivos  
 10 Iliacae misero vertere tecta solo.  
 11 Vir ferus et duris Hector fortissimus armis  
 12 ivit ad infernas vulnere caesus aquas.  
 13 Mortuus Anchises patriis est pulsus ab oris.  
 14 Non potuit roseum forma juvare Parim.  
 15 Gloria, fama, decus, gemmae, mens strenua, virtus  
 16 magnanimi Calabrum non potuere ducis  
 17 servare imperium sceptro populosque tueri :  
 18 spicula pro Gallis astra tulere feris.

## IN SPINETAM.

E4\_71 v.1 Ad tua quod Siculi linqvens juga summa Pelori  
 2 atque Gnydum venit limina pulchra Venus  
 3 tecta rosis crines et murice cincta rubenti,  
 4 et jocus et niveo gratia quaeque pede,  
 5 jamque faces ardent, castos Hymenaeus amores  
 6 jam probat et vulnus blanda puella timet.  
 7 Carmina, zona, nuces, flammae, lyra, myrtus et undae  
 8 munera solverunt sacra, Thalasse, tibi.  
 9 Non aurum, gemmas, teneros sed mittimus agnos  
 10 quos decet auspiciis munera laeta bonis :  
 11 non agnos rabies agitat vesana, cruentus  
 12 non furor in clades saevaue bella trahit.  
 13 Vellera dant placidi, sacras mactantur ad aras,  
 14 cum cremat accensus mascula thura focis.  
 15 Juppiter his epulis sociis et lauta paravit  
 16 prandia, cum Solymis jura daret populis.  
 17 Accipe, dona damus tibi mystica ; vivet ut agnus  
 18 juncta suo clemens castaque sponsa viro.

## DE MORTE REGIS PARTHENOPES.

E4\_72 v.1 Parthenope, lacrimas urbs inclyta comprime, regem  
 2 mors subito quamvis presserit atra tuum,  
 3 non poterat superas astris melioribus oras  
 4 scandere, non fato candidiore mori ;  
 5 regalis mors ista fuit. Vir fortis et acer  
 6 non decet ut morbo languidus astra petat,  
 7 non decet ut vires moriens amittat et aeger  
 8 saepe necis telo mortuus ante cadat.  
 9 Rex subito moriens moritur. Rex tempore longo  
 10 qui languet regem quam cadat ante videt ;  
 11 adde quod hunc, trepidans numquam mors ausa fuisset  
 12 semideum telis dilacerare suis,  
 13 fert decus iste tibi casus, rapuisse protervam  
 14 namque tuum mortem clam timuisse ducem est.

## AD BASSANUM.

E4\_73 v.1 Ad gelidos fontes, ad amoeni jugera campi  
 2 venimus et parvae tecta beata casae,  
 3 aemula Penei vitreis ubi labitur undis  
 4 unda vel auratae qua fluit Ebrus aquae,  
 5 populus Herculeis virides ubi frondibus umbras  
 6 spargit et Idaliae myrtus amica deae ;  
 7 qua, Narcisse, vires, mollis qua floret acanthus,  
 8 qua cytisum pecudes, qua thyma carpit apis.  
 9 Pica loquax doctas imitatur voce sorores  
 10 et tua flet Procne crimina dira soror ;  
 11 curvus arator humum scindit, locat ordine vites  
 12 rusticus et curva gramina falce secat.  
 13 Lis vesana tacet, juris tria verba silentur  
 14 Palladii, gemino consule praetor abest.  
 15 Vidimus innumeras urbes, sed cuncta tumultus  
 16 sollicitat stimulis caeca libido feris.  
 17 Furta, dolos, rixas celebrant nunc oppida ; campos  
 18 verus amor nivea simplicitate colit.  
 19 Fulva colas igitur dives palatia, pauper  
 20 ast ego sed laetus florida rura colam.

## AD VERGILIUM ZAVARISIUM.

E4\_74 v.1 Qui venturus erat nobis ut vota benignus  
 2 solveret, ut duri tolleret arma patris,  
 3 Claudus ab ociduis venisset Gadibus olim,  
 4 duxit Erythraeas vir ferus unde boves,  
 5 non movet aut tardus qua frigida plaustra Bootes,  
 6 stare vel immodica creditur axe mora,  
 7 sidera spectantur domini qua fulva Lycaei  
 8 cum quo solstitium junctus Apollo facit,  
 9 qua niger Eoo gemmas legit Indus in amne  
 10 et vomit acceptas frigidus Auster aquas.  
 11 "At veniet", dices, "post tempora commoda rerum."  
 12 Qui venit ingratus, non venit atque venit.

## AD EUMDEM.

E4\_75 v.1 Deponunt blandis latrones spicula verbis,  
 2 indomiti Thraces indomitique Scythae.  
 3 Juppiter arma tenet quae mittere dira parabat  
 4 cum patula versus accipit aure pios ;  
 5 Scylla trahat canibus quamvis truculenta marinis  
 6 undique concussas per vada caeca rates,  
 7 exorata preces audit, lacrimisque Charybdis  
 8 saepe suo fluctus continet ore graves.  
 9 Omnia non frangit scopulosus ligna Caphareus,  
 10 nec semper Libycis Syrtibus unda nocet.  
 11 Nullas ille preces audit, mirabile monstrum est,  
 12 cum non sit scopulis durior atque feris.  
 13 Hunc pellis, damnas : nihil est hoc, credimus. Audi  
 14 ipse meas si vis audiet ille tuas.

## EPITAPHIUM.

E4\_76 v.1 "Quis jacet hic ?" "Scelus est nomen dare." "Femina vel vir ?"  
 2 "Vir malus, inferna dignus ave et lapide."  
 3 "Cur ?" "Coluit caedes, incendia, vulnera tantum."  
 4 "Unde scelus ?" "Nullos credidit esse deos."  
 5 "Quo periit fato ?" "Flammis." "Hieronymus hic est,  
 6 proditor, impostor, nosco." "Licet taceas,  
 7 maxima non latitat virtus, non crimina praebent,  
 8 illa boni titulos nominis, ista mali."

## AD BASSANUM.

E4\_77 v.1 Urbis auratas adamantis aedes,  
 2 splendidi clare fluviique rivos  
 3 limpidos vidi, Phaethontis atque  
 4 nobile regnum ;  
 5 litus annosae tetigi Ravennae,  
 6 quam rigat nullus vitreo liquore  
 7 fons ubi tristem redolet Mephitim  
 8 jugera quaeque.  
 9 Vina Caesenae bibimus superba,  
 10 vilis arguto Ciceronis ore  
 11 quae suos mactat violenta cives  
 12 ut lupus agnos,  
 13 cujus in portu laqueis vel esca,  
 14 retibus pisces maris et protervis  
 15 fluctibus ducit numero carentes  
 16 navita prudens,  
 17 qua fluit parvo Rubiconis amne,  
 18 Caesaris magni celebrata cursu  
 19 unda, cum rerum domini cruenta  
 20 bella tulerunt ;  
 21 aurei nomen pretio trahunt quos  
 22 ponderis muros mihi rex petenti  
 23 ingredi laeto pius haud negavit  
 24 et probus ore.  
 25 Quae sedet collis salebris in arcem  
 26 arduis summam colui diebus  
 27 quinque dilectam Veneri tibi que,  
 28 blande Cupido,  
 29 illa quae fessas tumidos carinas  
 30 ob maris fluctus, resonante vento  
 31 improbo, saevo, capit una portu  
 32 pulchra, decoro.  
 33 Virginis sacrae niveae beatæ  
 34 osculans multis lacrimis figuram  
 35 post, reus, voti posui tabellam  
 36 limine templi.  
 37 "Hic meum", dixi, "dominum deumque,  
 38 o jubar caeli foveas amesque,  
 39 illius fulva caput et tiara  
 40 contege, Virgo."  
 41 Ara summota est, tremuere tecta,  
 42 culminis per se sonitus dedere  
 43 aera, sparserunt radios per omne

44                   lumina templum.  
 45 Verba caelesti tulit ista Virgo  
 46 ore : "Felici, mihi crede, sorte  
 47 quod petit donum dominus deusque  
 48                   vester habebit."  
 49 Ergo, magnorum generosa regum  
 50 Mantuae princeps soboles, galero  
 51 jam teges rubro caput et beata  
 52                   sede sedebis.  
 53 Namque non possunt superum jubetque  
 54 alma mutari genetrix, nec ulla  
 55 lege tardari, celebranda si sunt  
 56                   fata deorum.

## AD QUIRITES.

E4\_78 v.1       Inclyta nascetur virtus, gaudete Quirites,  
 2            militiae redeunt signa decusque sacrum ;  
 3       Qui modo marcebat vino, qui Thaida demens  
 4            nunc olidam princeps, nunc rapiebat Hylam,  
 5       Martis amore furens clarae quoque laudis honore  
 6            strenuus invictas ducet ad arma manus.  
 7       Ibit ovans victor spoliis insignis opimis,  
 8            imponet capiti laureaserta suo.  
 9       Otia segniciem pariunt gelidumque timorem,  
 10           ingenii vires corporis atque labor.

## IN ANTONIUM MONTANARUM.

E4\_79 v.1       Antoni, quare pelagi sale quaeris amaro  
 2            misceat immensas caerulea Doris aquas.  
 3       Non est telluris sudor, non halitus undae  
 4            quae simul adstricto corpore pondus habent.  
 5       Sed quia Neptuni spatiosum fervidus aequor  
 6            sol ferit ardenti cum petit astra rota,  
 7       exiguas rapiens partes tenuesque resolvens  
 8            et linguens putri flumina mixta luto,  
 9       unda maris salsa est, rudis, indigesta, saporem  
 10           talem sic mixtus quilibet humor habet.

## MARCO ANTONIO MAUROCENO.

E4\_80 v.1       Juppiter, aequata qui corrigit omnia lance,  
 2            foedere qui justo fasque piisque colit,  
 3       non tamen irato semper tenet acer Olympo  
 4            torquet et a summis tela cruenta polis.  
 5       Comprimit hic sacra vestales aede puellas  
 6            atque bonae temerat sacra verenda deae,  
 7       et molli celebrat lascivam veste Cotytto,  
 8            nec tamen accenso fulmine raptus obit.  
 9       Ille senem spoliat tumido qui ducitur angue,  
 10           aegida Gorgoneum Pallados atque rapit,  
 11       proditor alter agit patria velut unda carina  
 12           turbida, nec poenae tristia damna luunt.  
 13       Fulmine si caderet mortem quicumque meretur,

14           omnis in infernas orbis abiret aquas.

DE CAPELLA.

E4\_81    v.1    Munera ni vitae superare, munere vitae  
          2           gauderem. Nimium sum canis egregia.

IN MARSUM.

E4\_82    v.1    Ille putat sanctum qui rumpere foedus amicum,  
          2           hic rumpit sanctae foedus amicitiae.  
          3    Qui caecas sequitur fraudes et crimina, credit  
          4           insidias, fraudes, crimina quemque sequi.  
          5    Non damnat iudex nisi crimina nota ; voluntas  
          6           quem movet injuste quod facit hoc nihil est.

EIDEM.

E4\_83    v.1    Ne timeas, saxum est nostrum quod fundat amorem.  
          2           Forma manet duro marmore picta diu ;  
          3    vivet amicitiae foedus quae firma columnis  
          4           est solidis. Vento non domus alta cadit.

EIDEM.

E4\_84    v.1    Casta tua est conjunx. Timeas ne furta pudici  
          2           pectoris, haud violant dulcia verba fidem.  
          3    Ingenium veneror, facundae murmura linguae  
          4           et decus et mores quos colit illa bonos.  
          5    Non ego sum leno, parasitus, moechus, adulter :  
          6           non Plato, non hoc vult doctus Aristoteles.  
          7    Ora, manus, crines, oculos nec pectora vidi,  
          8           virtutes vidi conjugis ipse tuae.

DE CAPELLA.

E4\_85    v.1    Latratu terrent aliae, nos ore silenti.  
          2           Hoc mirum est, illud non movet ingenium.

EPITAPHIUM FERRANDI, REGIS NEAPOLITANI.

E4\_86    v.1    Ferrandus, vivo clarus patre, nomine regis  
          2           imperii laeto clarus et auspicio,  
          3    vix patre deposito rex non rex pellitur armis,  
          4           pulsus adest armis castraque saeva fugat.  
          5    Victor obit, clarus fugiens clarusque triumphans,  
          6           clarior invicto funere sed moriens.

AD EUMDEM.

E4\_87    v.1    Sede salutatus regni, rex urbibus actus

2 Ferrandus tumidis aequora surda petit.  
 3 Poscit ad arma viros, lectum trahit agmen in hoste,  
 4serta coronatis laurea gestat equis.  
 5 Sede fuit pulsus Gallos ut petere posset ;  
 6 sic vinci clara vincere laude fuit.

## AD EUMDEM.

E4\_88 v.1 A patre rex factus viridi Ferrandus in aevo,  
 2 hostibus et regni pellitur insidiis.  
 3 Gallus ovans victor saevit ; redit ille superbos  
 4 et Gallos victo pellit ab imperio.  
 5 Rex factus, regem sese virtute creavit :  
 6 viribus hic rex est qui capit imperium.

## AD EUMDEM.

E4\_89 v.1 Maxima post magnus numerosi signa triumphi,  
 2 ivit ad aethereum Romulus imperium.  
 3 Aeneas, victor Turni, deus aethere sedit  
 4 matris et aspexit sidera clara suae.  
 5 Ferrandus victis petiit deus aethera Gallis :  
 6 sic obeunt fortes magnanimique viri.

## AD EUMDEM.

E4\_90 v.1 Imperii claris Caesar jam clarus habenis,  
 2 in medio fossus decidit imperio.  
 3 Ferrandus, pulsus ad Rheni flumina Gallis,  
 4 non aliquo fossus vulnere victor obiit.  
 5 Caesaris exemplo vixit, rex decidit atque :  
 6 mortuus est fato candidiore tamen.

## AD EUMDEM.

E4\_91 v.1 Ne posthac fortis saevi vel turbine fati  
 2 Ferrandus, tumido puppis ut acta Noto,  
 3 saepe procelloso fluctu quateretur, ad astra  
 4 fortunae fractis se tulit agminibus.

## AD EUMDEM.

E4\_92 v.1 Quod fuit ante diem Ferrandus rege creatus  
 2 rex patre, divinae foedera sortis habet.  
 3 Sedaret populos Alphonsus ut arma petentes  
 4 huic quoniam regni sceptrum beata dedit,  
 5 sedavit populos Ferrandus, moribus aequis.  
 6 Bis fieri regem taliter est fieri.

## AD EUMDEM.

E4\_93 v.1 Vixit Ferrandus Gallos ut pelleret urbe,



2           possetque ut patriae ferre salutis opem.  
3 Perdomuit Gallos, patriam servavit, ad astra  
4           ne vinci posset se tulit ante diem.

## DE DIANA.

E4\_94 v.1 Quod sit nec cunno, nec possit vota Diana  
2           solvere quae sancti furta petunt thalami  
3 exclamans querulus, vocat hanc in jura maritus.  
4           Uxor adest, dictis carpit et hunc querulis  
5 accusat, mordet, gelidum sine sanguine dicit  
6           telaque se jurat posse pati Veneris.  
7 Docta venit mulier, videt hanc quod largus inundat  
8           humor et exardens perfluit hippomanes  
9 antrum horrendum, ingens, vastum, sub valle profunda,  
10          cauta nates inter aspicit et femora.  
11 Conclamat : "Patulo magnum patet inguen hiatu,  
12          ad Venerem Veneris munera cunnus habet."  
13 Cui vir : "Dixisti magnum patet inguen hiatu :  
14          non inguen, sed Styx concava, sed pelagus.  
15 Vici : non cunnus verum est immensa vorago,  
16          Scylla rapax celeres quae rapit atque rates.  
17 Dicitur haud cunnus cunnos qui continet omnes ;  
18          quae cunnos cunnum non habet ergo, patres."  
19 Cui cautus judex : "Uni tibi juncta marito  
20          jungatur multis femina multa viris.  
21 Unius lex vult, una est qua femina parte  
22          sit tua, qua plures pluribus hanc tribuas."

## DE LANDINA.

E4\_95 v.1 Cum nocte (hac) mecum foedus Landina feriret  
2           ut possem pathicas vix numerare vices,  
3 an Jovis optaret numerum vel Pallados illam  
4           percunctor. Magni nomine capta Jovis,  
5 Pallada neglexit. Compressu maesta senili,  
6           quae nimis optavit perdidit illa satis.

## AD PYLADEM.

E4\_96 v.1 Carmine qui dulci sensus de cautibus egi  
2           et potui vitam ducere de salebris,  
3 carmine nunc dulci sensus supponere cauti  
4           et cogor vitam linqere sub salebris.  
5 Plus tua dicta valent quam mors et vita ; rigescunt  
6           quae sine corde facis vivere carminibus,  
7 ignea quae vivunt sine corde rigescere. Vitam  
8           tu mihi das, mortem tu mihi das, cithara.

## AD EUMDEM.

E4\_97 v.1 Si talis socium Pylades celebrasset Orestem,  
2           non illum in rabiem sors rapuisset atrox,  
3 non modulis citharae bilem pressisset iniquam

4           atque ruens animae composuisset onus ;  
5       maxima nam medicae vis est concentibus artis.  
6           Non credis, vatis dicta legas Samii.

## AD EUMDEM.

E4\_98   v.1       Hospes, cur mecum loqueris ? Cur murmura perdis ?  
          2           In Zephyros abeunt : saxum ego, non homo sum.  
          3       Non te decipiant oculi, cor, viscera, sanguis ;  
          4           vivere quae credis, dirigere mihi.  
          5       Quae causa est ? Veneris non caeca cupido, nec auri,  
          6           non Jovis ira minax, impetus aut superum.  
          7       "In vitam posset quis te revocare ? Deusne  
          8           cui parent medici, Cynthia cui soror est ?"  
          9       "Non opus est Phoebo, Pyladis gravis atque diserti  
         10           carminibus vivam, carmine qui rigui."

## DE CATELLA MIRO SCULPTA ARTIFICIO.

E4\_99   v.1       Quid stas, anxie ? Quid viator haeres ?  
          2           Ars me vincitur arte sub magistra.

## AD BASSANUM.

E4\_100  v.1       Plectra coronatus dum tangere cessat Olympo  
          2           Phoebus ut Aoniae carmina cantet humo  
          3       Maeonias doceat versus ut condere Musas,  
          4           ne sine composito stet Jovis aula sono  
          5       Bassanum nobis rapuerunt numina. Solus  
          6           noscit enim Phoebo digna tacente loqui.

## AD BASSANUM.

E4\_101  v.1       Dignus erat quoniam superos habitare penates  
          2           Bassanus, sacras et Jovis esse dapes,  
          3       exuit humanae spoliū miserabile formae,  
          4           ivit et ad summas tecta beata domos.  
          5       Ardua quae meruit celebrat vates loca : terrae  
          6           regna decent homines, sidera celsa deos.

## EPITAPHIUM REGIS GALLORUM.

E4\_102  v.1       Gallorum jacet hic rex, qui praestantibus armis  
          2           praeponens Veneris crimina, furta, jocos,  
          3       Alphonsi victor non vi, non arte, sed astris  
          4           arripuit turpem turpior ipse fugam.  
          5       Da tumulum tumulo, noscas quo quisque viator  
          6           qui semel est natus bis potuisse mori.

## AD BASSANUM.

E4\_103  v.1       Ducere laurigeros caeso quid vate triumphos

2           sub Styga Tartaream mors truculenta paras ?  
 3       Ante diem fati Bassanus vulnera victor  
 4           est ultus gladii sanguinolenta tui.  
 5       Nam tibi surripuit multos quos perdere nulla  
 6           lege potes. Numerum respice, victa cadis.

AD EUMDEM.

E4\_104 v.1       Inclyta laetata est gemini bis Mantua vatis :  
 2           carmine Bassani, carmine Virgilii.  
 3       Inclyta tristata est gemini bis Mantua vatis :  
 4           funere Bassani, funere Virgilii.

AD EUMDEM.

E4\_105 v.1       Ne natura suos mutaret sedula cursus,  
 2           perderet et vires officiosa suas,  
 3       Bassanum nobis letali vulnere Parca  
 4           subripuit nostros quae regit una dies,  
 5       ante darent illi ducunt quae longa Sorores  
 6           et Phoebus vitae tempora perpetuae.  
 7       Plusquam semideus, quia jam fera spicula mortis  
 8           spernebat : vita est vix potuisse mori.

AD EUMDEM.

E4\_106 v.1       Bassanus bimarem quia solus adire Corinthon  
 2           et poterat sacras solus adire domos,  
 3       et totum docto claudebat pectore Phoebum  
 4           quaeque novem texunt laureaserta deas,  
 5       vatibus ut multis Heliconis regna paterent  
 6           hunc immatura fata dedere neci.  
 7       Haec rogo : non mors est defunctum cedere vitae  
 8           Pierias vates ne bibat unus aquas ?

AD EUMDEM.

E4\_107 v.1       Bassanus laudes et nomina clara meretur ;  
 2           nam vates nostro tempore clarus erat,  
 3       clarus erat nostro vates nam tempore quo vix  
 4           noscuntur frondes, Calliopea, tuae.  
 5       Plectra cothurnati vicit sic docta Maronis ;  
 6           nam si nunc caneret jugera, prata, greges,  
 7       Tityron et laetas segetes ac arma virumque,  
 8           scripta velut culicis diceret ore rudi.  
 9       Desine mirari : nam multum tempora possunt,  
 10           rege sub Augusto non cecinisse parum est.

AD EUMDEM.

E4\_108 v.1       "Quid fles ?" "Quod viridi periit Bassanus in aevo."  
 2           "Hoc verum est tantum tempora si numeres,  
 3           inspicias sed si Phoebus dictante sonoro

4            quae cecinit plectro, carmine Nestor erat."

AD EUMDEM.

E4\_109 v.1        Mortuus est vates poterat qui tempore parvo  
 2            condere Phoebæ carmina docta lyra,  
 3            carmina quæ vivent sparget dum lumina Titan,  
 4            dum mare nimborum fluctibus astra petet.  
 5            Hoc decus est ingens, hæc maxima gratia, versus  
 6            victuros nulla condere posse mora.

AD EUMDEM.

E4\_110 v.1        Juppiter, ut tandem posset mortalibus aegris  
 2            caelorum dulces significare sonos,  
 3            Bassanum tribuit nobis qui redderet illos  
 4            argutæ tangens fila canora lyrae.  
 5            Quos postquam satis est dulci modulatus avena,  
 6            transtulit ad superos regia tecta polos  
 7            ut tandem acciperet versus quos dulciter ore  
 8            tam cecinit Phoebus quam cecinisse solet.

DE QUODAM SENE.

E4\_111 v.1        Discite justitiæ quid vis, quid foedera possunt  
 2            sancta, quibus tantum crimina saeva placent,  
 3            carnificis mactare viros quos more cruenti  
 4            et foedare pio sanguine tela juvat.  
 5            Rusticus, annosa gravis anxius atque senecta,  
 6            ibat ad urbani regia tecta soli  
 7            qua Verona caput celsis levat ardua muris  
 8            a laribus parvis exiguaque domo,  
 9            forte gerens curvam qua Bacchi munera falcem  
 10            agricolæ nimium luxuriosa secant.  
 11            Ecce, videt geminos torquentes ora latrones  
 12            comminus immiseri spicula dira senis.  
 13            Armatos inter juvenes vir solus, inermis,  
 14            debilis, exhausto corpore, quid faceret ?  
 15            Aecidem Priamus num vinceret, Hectora Nestor ?  
 16            Non decet exsanguis Martius ensis avos.  
 17            Nunc hunc, nunc illum feriens Libycis velut arvis  
 18            ungue ferus timidus ut leo dente feras  
 19            et tandem rapiens illis quas strenuus hastas  
 20            gestabant, madidam sanguine fecit humum  
 21            vulneribus fodiens amborum pectora crebris,  
 22            dum cecidit fato caesus uterque pari.  
 23            Vis fuit hæc superum, voluit sic Juppiter ille  
 24            omnia qui justo corrigit imperio.  
 25            Denique clara scelus dirum virtus fugat, armis  
 26            qui cecidere senis, non cecidere senis.

AD LUCAM BONFIUM.

E4\_112 v.1        Cum Gaditano celebrat convivia luxu

2 Claudia vestales stet licet ante focos,  
 3 per fora, per vicos, per compita quaeque juvenus  
 4 quassat et ardentis imperiosa faces ;  
 5 ludit arena, jocos prospectant rostra, triumphos  
 6 et Bacchi et Veneris porticus omnis agit,  
 7 induit os satyri miles, sub veste subulci  
 8 luxuriat media consul equesque via,  
 9 ad te nunc veniam cithara comitatus eburna,  
 10 quae vocat Etruscas ad sua vota deas,  
 11 ut valeam tectus larva per tecta vagari,  
 12 ludere sub parva Thaidos atque casa.  
 13 Talia cur poscam quaerit qui tempora, quaerit  
 14 improba cur caeca noctua nocte volat.

## AD EUMDEM.

E4\_113 v.1 Euganei num docta petam subsellia regni  
 2 qua fluit Aonio Pegasis unda lacu,  
 3 ardua qua linquens Ephyraei saxa Corinthi  
 4 Phocidos et sacrum ducit Apollo chorum  
 5 per juga qui soleo fauni salebrosa Lycae  
 6 rusticus agrestem nec celebrare diem ?  
 7 Qui si Palladiis pastor meditetur Athenis  
 8 horridus incultae carmina dura Palis ?  
 9 Ad vada Maeandri niveos imitatus olores  
 10 versibus incomptis stridulus anser agat ?  
 11 Divisit natura modos, loca, foedera, gentes :  
 12 inter bellaces stant bene castra duces,  
 13 Caecilius Plautos, doctos Maro doctus Homeros,  
 14 rusticus hirsutas Tityrus inter oves.

## AD CAESARINUM CARDINALEM.

E4\_114 v.1 Si Roma linquis, linquit se Roma, citato  
 2 et loca cuncta gradu quae petis, ipsa petit.  
 3 Aeoliis tecum sulcat freta concita ventis,  
 4 nec nimis iratis fluctibus acta timet.  
 5 Tecum per salebras, per devia jugera currit,  
 6 montivagas agitans insidiosa feras ;  
 7 ad Calabros tecum, pecorosaque regna Phalanthi,  
 8 ad juga Miseni Tiburis atque venit.  
 9 Tecum stat, graditur, ridet, negat, annuit ; esset  
 10 te sine jam, Caesar, te sine Roma nihil.

## AD EUMDEM.

E4\_115 v.1 Roma, coronatis iterum pete crinibus aulam  
 2 saxa Palatini quae tenet alta soli.  
 3 Julius alter adest Caesar praestantibus armis  
 4 qui Capitolinas accumulabit opes  
 5 et tibi te reddens duris scelerata catenis  
 6 hostibus astringet colla manusque suis ;  
 7 indicat hoc ursus laqueis devinctus eritque  
 8 strenuus imperii firma columna sui.  
 9 Hoc potes in solida dudum spectasse columna

10 sibila quae madidi non timet illa Noti ;  
 11 Princeps alta petet volitans fastigia rerum  
 12 ut pennis aquilae fortibus astra petunt.  
 13 Caesareis ducibus sunt haec data munera, summum  
 14 totius capiant orbis ut imperium.

EPITAPHIUM MALATESTAE.

E4\_116 v.1 Quae vixit laeto, laeto dum tempore vixi,  
 2 quae cecidit tristi tempore cum cecidi,  
 3 hic, Caesena, jacet ; miraris ? Cum patre justo  
 4 se domus, urbs justo cum duce se sepelit.  
 5 Dux pater et justus struxi quas respicis arces,  
 6 pyramides, thermas, amphitheatra, domus.  
 7 Nomen erat Malatesta mihi ; me decidit haec urbs,  
 8 exstincto corpus nam sine corde cadit.

AD HELIAM CAPREOLUM.

E4\_117 v.1 Non fati legem posset rex ipse movere  
 2 lucida qui gemina temperat astra manu ;  
 3 nam fatum est quicquid vult Juppiter, appetit, optat,  
 4 quod vult aeternis legibus est stabile.  
 5 Non tamen hoc propter laqueis humana voluntas  
 6 clauditur, angustis stringitur et spatiis.  
 7 Mortale est quicquid latitat mortalibus aegris,  
 8 sidereum quicquid sideribus latitat.

AD CAUSIDICUM.

E4\_118 v.1 Quod formica cavat fulvum sub rupibus aurum,  
 2 hic ubi culta lavant jugera Gangis aquae,  
 3 fodit et Astur, agit nitidos qua dives in agros  
 4 Ebrus et Hesperio qui fluit amne Tagus  
 5 tradere cum nobis possis sermone diserto,  
 6 murmure terrisono cum fora rauca strepunt  
 7 quid cessas ? Dices "Labor est". Sed deme laborem,  
 8 officium sancti nil habet officii.

AD EUMDEM.

E4\_119 v.1 Tempore si Phyrrae cecinisses, saxa fuisset  
 2 non opus aversos mittere post humeros,  
 3 nec genus humanum tanto reparare labore.  
 4 Uno fecisses vivere saxa sono.

AD EUMDEM.

E4\_120 v.1 Sic cantas, Pylades, favente Musa  
 2 excussum, grave, floridum, venustum,  
 3 compactum, lepidum, breve et sonorum  
 4 carmen quo tibi se favere Musa  
 5 credat vel tibi se favere Phoebus,

6 et de se dubitet sit an sit alter  
 7 vates cui faveas Apollo vates.  
 8 Nam se, te tacito, videt tacentem  
 9 et jurat quod es esse, cum Camenis  
 10 dictat se sibi nec magis placere  
 11 quam cum se tibi sit placere ; tecum  
 12 tunc cum stat, manet et manere secum.  
 13 Dicit se Pyladem, vocat poetam  
 14 te Phoebum, meditatur ergo versus  
 15 Phoebus cum Pylades canit sonoros,  
 16 cum Phoebus Pylades canit sub uno  
 17 vivit corpore namque uterque solus.

EPITAPHIUM FABRI FERRARI.

E4\_121 v.1 Discessit Brontes, Sicula quatit aera sub Aetna.  
 2 Non homo, Plutonis sed faber horribilis  
 3 contudit ut Mantus cives crudeliter ipse  
 4 crudeles inter tunditur Eumenidas.  
 5 Inferni Manes cruciantur ; Manibus ordo est :  
 6 carnificem lacerat dextera carnificis.

AD OCTIMANUM CAPREOLUM.

E4\_122 v.1 Tartareas quisquis Manes animasque volantes  
 2 optat et inferni membra videre canis,  
 3 Octimanum videat ; nam cum furor improbus illum  
 4 urget et in rabiem turbida bilis agit  
 5 ut fera Tisiphone tumidis cristata colubris  
 6 aestuat et sparsis crinibus ora quatit,  
 7 ex oculis torquens oculos, ex pectore pectus,  
 8 ex facie geminas concutiens facies,  
 9 induit Harpyas mox Cerberon atque Chimaeram,  
 10 corpore multiplici guttura trina movet.  
 11 Fit leo Marmaricus, tigris Gangetica, serpens  
 12 Cinyphius, stridet, sibilat atque fremit,  
 13 intortis graditur pedibus, tremit anxius, ardens  
 14 ut spectans dicas : "Ossibus iste caret."  
 15 Haec peragens totus sic se privatur ut ipse  
 16 quod moveat corpus nesciat esse suum ;  
 17 immo suum non sit, nam nusquam permanet ille.  
 18 Felix qui tali callidus arte valet :  
 19 hoc magnum est, similes imitando reddere formas.  
 20 Octimanus formas non imitatur, agit.

IN ORESTEM.

E4\_123 v.1 Illorum numero scribi dum quaeris, Orestes,  
 2 publica qui subitis acta notant manibus,  
 3 hos prece sollicitas, nummos das sedulus illis.  
 4 Nec prece, nec pretio quod petis assequeris.  
 5 Uxorem ducis cujus sub nomine credis  
 6 inter Palladios posse sedere viros.  
 7 Quod non affines possunt, non munera, sanguis  
 8 non virtus, cunnum posse putas tenerum ?

9 Impius es nimium, sub parvo claudere cunno  
 10 jura, forum, totam denique vis patriam ;  
 11 an, miser, ignoras cunnum non corda movere,  
 12 non hominum mentes inguina ni moveat ?

## AD PYLADEM.

E4\_124 v.1 Cum versus epigrammatis poetae  
 2 unius celebrare me disertum  
 3 dixissem Pyladis, lacu Medusae  
 4 pinnato volitans gradu Thalia  
 5 accusat, lacerat, vocat protervum,  
 6 meme vocibus intonans fragosis :  
 7 "An versus epigrammatis poetae  
 8 unius celebrare te disertum  
 9 dicis perfide ? Non pudet poetam  
 10 unum te Pyladem meum vocare ?  
 11 Unum non epigramma misit ; unum  
 12 quod credis varios tenet libellos.  
 13 Est opus ingens, aureum, rotundum,  
 14 argutum, breve, tinnulum, canorum.  
 15 Hic, hic arma virum sonat, sonora  
 16 Sapphus spicula, Cynthiae, Corinnae,  
 17 lascivi et lepidi sales Catulli,  
 18 laeti candiduli jocos Tibulli.  
 19 Hic Mavors furit, hic Venus jocatur,  
 20 declamat Jovis illa nata magni,  
 21 novit sidera quae patrisque mentem.  
 22 Est versus tenuis, gravis, modestus.  
 23 Delectat, tenet, adjuvat capitque.  
 24 Est multus Pylades meus poeta  
 25 facundus, varius, canorus. Immo  
 26 sunt multi Pylades mei poetae ;  
 27 quid strides, miser ? Ah, miser, rigebis  
 28 nam scribis miser omnibus poetis.

## AD NICOLAUM VIGNATUM.

E4\_125 v.1 Non veniam judex, si poscis ; non ego lites  
 2 observo, rauci saeva nec arma fori :  
 3 non reus horrendi timeo lictoris acuta,  
 4 per tenebras fugiens, spicula, non laqueos.  
 5 An te tantus honor celsum super aethera ducit  
 6 quod te censoris sede sedere licet ?  
 7 Hoc satis est, fateor : dare, dicere, scribere leges,  
 8 hoc satis est, fateor ; sed satis est populo.  
 9 Non petit haec Phoebus, si poscis amicus amicum,  
 10 tunc veniam cara ductus amicitia.  
 11 Si judex, fugiam. Vignatum diligo, non hunc  
 12 qui novus est in te. Quos amo non veneror.

## IN LITTOREM QUI TROJANUM NOCTE VAGANTEM GLADIO PERCUSSIT.

E4\_126 v.1 Trojani longo fodisti, perfide, telo  
 2 quod caput exsultas, Lictor, et arma quatis.



3 Te magis et socios lacerasti ; vulnera magna  
 4 sunt tua. Trojanus non grave vulnus habet.  
 5 "Sum sanus", dices, "Dic saucius". "Est ubi vulnus  
 6 tam magnum ? " "Parvo vulnere sub latitat.  
 7 Percusso leviter Trojani vertice, vertex  
 8 percussus demens est tuus et graviter !"  
 9 Mortuus illius vita es ; mors est tua longa  
 10 et fera ; nam vivus stas miser atque cadis.

## AD EUMDEM.

E4\_127 v.1 Lictor, ais : "Poscam Veronae limina." "Quid tum ?  
 2 Illic, Trojano praeside, Mars colitur."  
 3 "Ad maris Adriaci fugiemus litora." "Quid tum ?  
 4 Strenuus Adriaci fulminat urbe maris."  
 5 "Caucasei montis scandam juga devia." "Quid tum ?  
 6 Ferrea Caucaseis rupibus arma quatit."  
 7 Est Trojanus Arabs, Parthus, Niloticus, Indus.  
 8 Omnibus his regnis, lictor, ages animam.

## MARCO SANUTO.

E4\_128 v.1 Aegrotat praetor ; nituntur stamina Parcae  
 2 rumpere quae vitae tempora certa notant.  
 3 Debile vult corpus, vult caelum, Juppiter optat.  
 4 Persephone crinem vellere purpureum,  
 5 vult mors, sed nescit saevos quo dirigat ictus,  
 6 et saevo partem vulnere quam feriat.  
 7 Vix deus est totus, nam quod mortale sub ipso  
 8 clauditur angusto limine sub latitat.  
 9 Adde quod haec virtus tegit aegide candida. Numquam  
 10 ergo cadet ? Numquam fata regunt homines ?  
 11 Non cedet fatis ? Non cedet, cedet amore  
 12 alterius vitae candidiore sibi,  
 13 Cum se destituet nolens plus vivere ; solus  
 14 semideus plus sese minus atque potest.

## AD LUCAM PASIUM.

E4\_129 v.1 "Quid fles ? " "Heu, jacet hic Lucas quia Pasius, unus  
 2 eloquio doctus, carmine, jure sacro."  
 3 "Falleris, impositi signum est hic funeris, illi  
 4 magna est tumulus magnificus patria.  
 5 Non tumulus domus est, populi nam pectore vivit.  
 6 Quid fles ? Viventi non dare fas lacrimas."

## AMICAM EGREGIE PICTAM ALLOQUITUR.

E4\_130 v.1 Quisquis tam verae te pinxit imagine formae,  
 2 qui te Mentoria vivere fecit ope,  
 3 ingenio non ille suo, non arte magistra  
 4 hoc tam divinum fingere novit opus,  
 5 sed didicit spectans tua lumina, qualiter alta  
 6 Juppiter aethereos pingat in arce deos.

7 Hinc vultum fecit tibi talis imaginis ut sit  
8 pictus uterque tuus, vivus uterque tuus.

AEGRE FERT ITALIAE PRINCEPS IN ITALIAM SAEVIRE.

E4\_131 v.1 Bella parant Latii reges ; ferus ardua linquit  
2 Mars juga centimani tincta cruore Gygis.  
3 Colla jubaque movet Venetus leo, sibilat anguis,  
4 dentibus invictis serra cruenta secat,  
5 Etrusci flores et pingua jugera campi  
6 spargit sanguineis frigidus amnis aquis.  
7 Pro mitra galeam, geminis pro clavibus ense  
8 Romulea colitur qui deus arce capit.  
9 Perdet flava Ceres, perdet sua munera Bacchus,  
10 rostra, domus, circi, templa, theatra cadent,  
11 Regna cadent Latii. Nam cum domus una vel una  
12 urbs in se pugnant est opus ut pereant.  
13 Itala gens una est, una urbs, sunt moenia montes  
14 Alpini. Semet perdere non labor est.

AD MAXIMUM DE VESPINI GRAMMATICA.

E4\_132 v.1 InclYTE, grammaticos quaeris si maxime claros  
2 ut videas clarae dogmata grammaticae,  
3 perlege Vespini chartas : Laurentius hic est,  
4 hic sunt Donatus, Servius atque Caper.  
5 Est brevis, est longus, jejunos, floridus, asper,  
6 candidus, exornat, cogit et auget opus,  
7 quodque magis mirum est pueri sub corpore Bruti  
8 comprimit immensi corpora vasta Gygis.  
9 Quod verbum est unum, non unum dicere fas est ;  
10 uno sub verbo plurima verba leges.  
11 Grammaticae dedit hic vitam : nam corpus ad unum  
12 membra legens quisquis dissociata refert  
13 ordine, lege, modo, sensu, ratione, figura,  
14 grammaticam generans suggerit hic animam.

DE MORTE ANTONII VICI.

E4\_133 v.1 Non equus, Antoni, saeva te morte peremit  
2 vice, licet corpus presserit ille tuum  
3 frena trahens, mortis sed tu tibi causa fuisti.  
4 Nec poteris fato candidiore mori.  
5 Crimen erat quoniam caderes ut caesus ab hoste :  
6 vel se vel miles strenuus hoste cadit.

AD EUMDEM.

E4\_134 v.1 Se gladio fodit Brutus, Cato fodit et ille  
2 quem timuit Caesar, quem coluere patres.  
3 Pressus equo temet pressisti, gloria par est !  
4 Sic obeunt fortes magnanimique viri.

## AD STEPHANUM SCULPTOREM.

E4\_135 v.1 Cur petitis cives pretioso vasa metallo  
 2 ut capiat fulvus lumina vestra color,  
 3 quaeritis et factas Libycis ex dentibus arcas ?  
 4 An tantum vestris alba placent oculis ?  
 5 Quaerite quae mentem moveant, quae pectora ; splendor  
 6 est veluti fumus quem gravis aura ferit.  
 7 Aurea si vultis quae non sunt aurea vasa,  
 8 haec Stephani vobis ars dabit eximii.  
 9 Hic facit ex ligno vultus quos vivere credit  
 10 ipse, licet videat, tangat et ipse licet.  
 11 Nuper equum geminas quatientem sculpserat alas,  
 12 quem cum vidisset, "Concute", Phoebus ait,  
 13 "concute tellurem, nascatur ut unda Camenis."  
 14 Erras, Phoebe pater, ligneus hic equus est.  
 15 Auratas Hebrum spargentem sculpserat undas  
 16 quem cum vidisset Crassus avarus ait :  
 17 "Hic aurum capiens Luculli munera vincam."  
 18 Falleris, haud aurum flumina picta gerunt.  
 19 Haec emat, haec cupiat verum qui postulat aurum.  
 20 Quod facit ars, aurum se pretio superat.

## AD CUPIDINEM.

E4\_136 v.1 "Aurea cur gestas et ferrea tela, Cupido ?  
 2 Haec odium generant, his generatur amor.  
 3 Si generas odium, cur jam tibi nomen Amoris  
 4 immeritum veteres imposuere patres ?"  
 5 "Non sine consilio : nam qui me spernit, amorem  
 6 non amat, hinc odium quod petit illud habet.  
 7 Non odium facio ; facit hic qui saevus amorem  
 8 odit, agit manibus haec sibi damna suis."

## JOANNI MATHEO AVEROLDO.

E4\_137 v.1 Qui puerum ficto celebravi nomine Ligdum  
 2 non pathico Ligdi captus amore fui.  
 3 Odi laenonum cunas et ab ubere raptos  
 4 concubitus, mihi lex Julia sola placet.  
 5 Damnavi semper Venerem quae perdere semen  
 6 et genus humanum pernicioosa facit.  
 7 Sed quia saepe suo morsu delectat acetum  
 8 et pungens gratas sal facit esse dapes,  
 9 ne tantum fatuas gererent mea prandia betas  
 10 dulcibus et tantum liba peruncta favis,  
 11 lascivos scripsi versus. Cantavit Alexin  
 12 Virgilius, puerum vir quoque, Polla, tuus.  
 13 Non verbis animum solis vir indicat aequus,  
 14 intima saepe tacent corda quod ora sonant.

## ZACHARIAE VERITATI.

E4\_138 v.1 Formosum rapiant timeo ne numina Lygdum  
 2 ut Mars, ut summo qui tonat axe deus ;

3 Amphitryoniades veniet si fortis et acer,  
 4 servet Hylam custos, servet et Oeбалidem,  
 5 ludentis Boreas discum ne torqueat hujus  
 6 in caput et campos mittat ad Elysios.  
 7 Aemula quisquis amat formidat spicula ; duro  
 8 sed puer igne cremat cum timet illa magis.

## IN LYGDUM.

E4\_139 v.1 Lygde, qui forma superas cinaedum  
 2 nobilem, pulchrum, tenerum, protervum,  
 3 qui sacro praebet manibus Tonanti  
 4 nectar eburnis ;  
 5 Lygde, qui vincis nitidis ocellis  
 6 qui miser disco cecidit cruento,  
 7 quem ferox silvis aper in jugosis  
 8 dente peremit ;  
 9 Lygde, cui cedit puer unus ille,  
 10 ille qui molli potuit capistro  
 11 ora per campos juga per fugati  
 12 flectere cervi ;  
 13 Lygde, quem natus Veneris pharetra  
 14 donat aurea niveisque plumis,  
 15 vinculis, flamma, laqueis, flagello  
 16 coteque saeva.  
 17 Tigris Hyrcanis generata silvis  
 18 saeva sit quamvis, furibunda, tristis,  
 19 masculum quaerit tamen et petenti  
 20 jungitur illi.  
 21 Ursa Riphaeis generata silvis,  
 22 saeva sit quamvis, furibunda, tristis,  
 23 masculum quaerit tamen et petenti  
 24 jungitur illi.  
 25 Non suum spernit sed amat leonem  
 26 torva sub campis Libycis leaena,  
 27 non suum spernit sed amat colubrum  
 28 vipera longum.  
 29 Durior dura poteris leaena,  
 30 tristior tristi poteris colubro,  
 31 saevior saeva poteris videri  
 32 tigride et ursa.  
 33 Non deus vult hoc facilis, serenos,  
 34 qui dedit vultus tibi que capillos  
 35 aemulos Phoebi radiis, cinaedum  
 36 forma jubet te.

## DE LYGDO.

E4\_140 v.1 Exstinctum jam me laceras cur, Lygde, cruento  
 2 vulnere, cur saevis ignibus uris atrox ?  
 3 An postquam mea corda tuis sunt vincta catenis,  
 4 et melior quae pars corpora nostra movet,  
 5 vis religare novis laqueis ? Ursumque lupumque  
 6 venator satis est si capit arte semel,  
 7 quae jam decepta est volucrem non decipit auceps,  
 8 dona nec ut capiat quae tenet illa capit ;

9 non movet in liquidis piscator fontibus hamum  
 10 quos habet ut pisces ad sua vota trahat.  
 11 Sit pudor, ah tandem, post funera postque sepulchrum  
 12 parce, puer, cineres sollicitare meos !  
 13 Me vivum dices : fateor, me vivere, sed non  
 14 ut valeam fato plus cecidisse tuo.

## IN PETRUM BARGNANUM.

E4\_141 v.1 Lex jubet intonsos te linquere, Petre, ministros  
 2 quos facit esse tibi jam nova nupta viros.  
 3 Ecce, faces tremulae lucent et flammea sponsae  
 4 ora tegunt, sacros fert puer ecce lacus.  
 5 Sparge nuces, Hymenaeus adest ; es, Petre, maritus.  
 6 Quid cessas ? Putris sparge, marite, nuces.  
 7 Limine non presso thalamos Aurelia castos  
 8 intrat. Io, zonam solvite virgineam,  
 9 solvite, io, matres et saevae tela Dianae  
 10 linquite ; nos Veneris dulcia furta movent.  
 11 Jam gravis es, jam vir ; gratum est mihi, gratius esset  
 12 si fieret dominus vir quoque, Lygde, tuus.

## EIDEM.

E4\_142 v.1 Si puerum laetis vellet me sumere fatis  
 2 qui regit imperio sidera cuncta suo,  
 3 non ego siderea praestat qui pocula mensa  
 4 pocula divino nectare plena Jovi ;  
 5 purpureus mediis non qui flos nascitur arvis,  
 6 qui periit formae captus amore suae,  
 7 non quem saevus aper crudeli sorte peremit  
 8 venantem, Paphiae vulnera saeva deae.  
 9 Sed peterem Lygdum ; Lygdus mea vita, meum cor,  
 10 lux mea, qui facie vulnera mille gerit.  
 11 Hunc quod praeponam cunctis mirabile forsitan ;  
 12 pulchrior est cunctis qui mihi, Petre, placet.

## AD LYGDUM.

E4\_143 v.1 Non videas speculo, liquidis non, Lygde, sub undis  
 2 te moneo, quoniam pulcher es ipse nimis.  
 3 Te capiet tua forma, tuo miserabilis ore  
 4 ipse cades, inopem copia te faciet.  
 5 Denique te pictos ornabunt flore capillos  
 6 Naiades et sertis limina sacra tuis.  
 7 Tunc ego cum dulces risus, cum cogerer ora  
 8 cogerer et vitam linquere, Lygde, meam.  
 9 Inspicias ne te moneo ; nam mors tua multos  
 10 duceret ad vitae fata suprema suae.  
 11 Quamvis, si mortem mors posset vincere, numquam  
 12 te fera Tartarei cerneret aula Jovis.

## AD LYGDUM.

E4\_144 v.1 Formosum forsā credis te lumine clarum  
 2 quod superas Phoebum sidereosque polos ;  
 3 quod tibi sunt oculi, Veneris quibus ora nitebant  
 4 cum vincit, Phrygio iudice, pulchra deas ;  
 5 quod nive candidior Getica quam turbine saevo  
 6 non tetigit Boreas est tua, Lygde, manus ;  
 7 quodque tuis aurum scis cedere crinibus atque  
 8 scis tua Paestanas vincere labra rosas.  
 9 Hunc propter nullus vultum formosus habetur,  
 10 splendidus ut placeant non facit ora color.  
 11 Sed facilis risus, sed amor, sed blanda voluptas  
 12 sed pietas multis deliciosa jocis,  
 13 tradere sed precibus munus puerile petentis.  
 14 Candidus Oebalides hoc tibi, Phoebe, placet,  
 15 si puer Iliacus crudelis et improbus esset  
 16 non daret aethereo pocula grata Jovi.  
 17 In puero nihil est quod pulchrius esse probetur  
 18 quam puer existens ut velit esse puer.

## JOANNI LAGARINO.

E4\_145 v.1 Ad sua non tauro summum rapuisse Tonantem  
 2 alite vel Lygdum credimus astra meum ;  
 3 nam posito varias tantum non numine formas  
 4 gessit ob aligeri tela facesque dei,  
 5 sed daret ut populo terris, ut civibus urbes  
 6 posset et imperium nobilitare suum.  
 7 Cadmus Agenorae sequitur dum furta puellae  
 8 fecit ab invento moenia dicta bove,  
 9 perdere dum Phrygios rapto furibunda ministro  
 10 Juno cupit, Latii venit ad arva soli  
 11 Aeneas geminique deum de sanguine fratres  
 12 struxerunt domini regia tecta Numae.  
 13 Herculis ut caderent manibus fera monstra cruentis  
 14 taurus, aper, serpens, Cerberus, Hydra, leo,  
 15 raptus Hylas vitreis olim sub fontis amoeni  
 16 Nereidum manibus caerulea tecta fuit.  
 17 Semivirum fecit puerum Berecynthia mater  
 18 tinnula quo major tangeret aera chorus.  
 19 Sic fuit et rebus superum quaecumque voluptas  
 20 utilis humanis utilis atque sacris :  
 21 si raperent Lygdum fierent nec templa nec urbes,  
 22 non igitur Lygdum dii rapuere meum.

## JACOBO GUARIENTO.

E4\_146 v.1 Oebalides, Cyparissus, Hylas, Diadumenus, Attys,  
 2 Phryx puer et picto Parthenopaeus equo,  
 3 cujus et in gremio posuit miserabilis ora  
 4 cum Stygiae vates iret ad antra domus,  
 5 et Veneris natus precibus qui femina, qui vir  
 6 Salmacis est mediae flumine factus aquae  
 7 si Lygdi caedunt oculis flavisque capillis,  
 8 splendet et in summo pulchrius orbe nihil,

9 cur tam sidereos hortaris linqere vultus  
 10 me puer, et pueris tam fera bella paras,  
 11 non decet an me quod decuit te, Romule, quondam,  
 12 te Nero, te Caesar, te quoque, sancte Numa ?  
 13 Numquid ero tenerae viridi sub flore iuventae  
 14 sanctior et Phoebos sanctior atque Jove ?  
 15 Non errat quisquis sequitur vestigia divum ;  
 16 quod faciunt superi non scelus esse potest.

## LYGDO.

E4\_147 v.1 Cur rigidos acer vultus, cur lumina torva  
 2 induis et semper tristia verba sonas ?  
 3 Cur numquam flavos componis, Lygde, capillos  
 4 nec tenero speculum consulis ore tuum ?  
 5 Alea cur nucibus delectat iniqua relictis  
 6 te puer, et celeris cur fugis aera rotae,  
 7 teque viros inter video cur semper inertes  
 8 quos merito possit dicere Nestor avos ?  
 9 Ut te, Lygde, virum credam fortemque ferumque  
 10 vis Priamum demens Astyanacta putem.  
 11 Ostendas Curios facie licet atque Camillos,  
 12 cum tua sit facies, et tener et puer es.

## ZACHARIAE VERITATI DE LYGDO.

E4\_148 v.1 Quem rosa quae biferis Paesti generatur in hortis  
 2 quemque gerunt Zephyro flante ligustra color,  
 3 quem tepidi laeto Nili flos tempore veris  
 4 et sua dilexit qui nimis ora puer,  
 5 quemque bibit Tyrium vestis quae saepe liquorem  
 6 quem ruber Aeoo Gange lapillus habet  
 7 quem matutini nascentia lumina solis,  
 8 quem Veneris facies, quem Jovis astra micant  
 9 est Lygdi nitidis oculis facieque serena.  
 10 Hunc cupias puerum : non tibi talis erit.

## CONSULIT FAVENTIAE, UT SUB AUSPICIO MARCI VIVAT.

E4\_149 v.1 Scande triumphales aurata Faventia currus ;  
 2 nam tibi Mars victor laurea sarta parat.  
 3 Ad Capitolini duces jam moenia regni  
 4 celsa coronato splendida signa duce,  
 5 oppida jam reddent populi tibi rapta protervi  
 6 frigidus Etruscis quos rigat Arnus aquis,  
 7 imperio postquam Veneti tua scepra dicasti  
 8 principis et regis jura fidemque tui,  
 9 cujus bella timent septemfluvius horrida Nilus,  
 10 quique bibunt Rhodani flumina, quique Tagi,  
 11 qui non fraude dolos texit, non arte maligna  
 12 fingit et immodicas quaerit avarus opes,  
 13 sed pius et clemens prodest, dat, consulit, auget,  
 14 aedificat, patriae rexque paterque suae.  
 15 Sic vinces, sequeris Marci quia castra potentis,  
 16 quaeque movet Marcus Juppiter arma movet.

## AD PYLADEM.

E4\_150 v.1 Vivus eram, saxum si vivit. Dulcia versus  
 2 cantasti docte fila movens citharae ;  
 3 duritiem posui, mutavi pondera, mollem  
 4 saxosis duxi cautibus ex animam.  
 5 Vivere me fateor, vitam te dante beatam ;  
 6 Pygmalion fecit quod prece tu cithara.

## DE CAPELLA.

E4\_151 v.1 Quid stas anxie, quid viator haeres ?  
 2 Ars me vincitur arte sub magistra.

## EIDEM.

E4\_152 v.1 "Quis graviter loquitur ? " "Facundus Onophrius ; artem  
 2 compositam magni nam Ciceronis habet."  
 3 "Jura fovet patriae quis candida candidus ?" "Ille  
 4 Augustus veluti, nam pater est patriae."  
 5 "Quis non mentitur ? Quis verum dicit aperte ?"  
 6 "Hic, quoniam veri pectora fert hominis."  
 7 "Munera poscenti quis maxima suggerit ?" "Idem  
 8 maximus est quia vir spernit avaritiam.  
 9 Dat solus, prodest, largitur, servat amatque,  
 10 solus habet sub se quicquid habet patria.  
 11 Est unus multus merito qui dicitur, haec nam  
 12 munera qui capit est non homo sed populus."

## ALLOQUITUR BRIXIAM.

E4\_153 v.1 Haec urbs non noscit Venerem sub virgine ; noscit  
 2 Pallada, vicina(que) est Jovis imperio.  
 3 Immo, Jovis numen claudit, si dividis illam  
 4 hic ubi litterulis littera stat geminis ;  
 5 quid moror ? Ad numerum te vertas, parte beatam  
 6 invenies omni Pallade, Sole, Jove.

## DE CAPELLA.

E4\_154 v.1 Si mihi das animam moriar, si non mihi, vivam.  
 2 Quae per se vita est, dissipat hanc anima.

## AD PISAS.

E4\_155 v.1 Vincetis, Pisae ! Sacro celebranda senatu  
 2 majestas vestro foedere jura dabit.  
 3 Vincetis, magnae ! Linquens nam moenia Romae  
 4 agmina magnanimus Scipio dura trahit,  
 5 qui ruet excelsas Tuscae Carthaginis arces,  
 6 sub juga fallaces coget et ire viros.



7 Quod dixi Romae falsum me forte putabis,  
 8 in vos cum moveat bella cruenta pater.  
 9 Non fallor ; Venetis tollit se Roma sub oris.  
 10 Non faciunt urbem moenia, sed populi.

AD VIROS MILITIAM ET AMOREM SEQUENTES.

E4\_156 v.1 Cur vos sidereum super aethera tollitis arma  
 2 qui fertis Getici sanguinolenta dei ?  
 3 An quoniam flexo torquetis spicula cornu,  
 4 an quia bellaces perditis ense viros  
 5 et duris duras tormentis rumpitis arces,  
 6 fertis et Arctoi frigora tarda poli,  
 7 ferventes aestus et qua Gangetica tellus  
 8 aestuat ardentis <sentibus> una faces ?  
 9 Hoc nihil est ; Veneris sequitur qui castra potentis,  
 10 dicitur hic merito strenuus atque potens.  
 11 Nam nil scuta valent, nil ferrea cassis ; amoris  
 12 spicula magnanimi, spicula quaeque domant.  
 13 Sub nostro princeps cecidit Mars strenuus, illum  
 14 decepit mira Lemnius arte faber.  
 15 Verus amor dux est, solus nomenque decusque  
 16 qui vincit solus miles amoris habet.

-----